

PANNONIUS (Janus)

POEMATA (10640 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition des *POEMATA* de Janus Pannonius parue à Utrecht chez Bartolomeus Wild, en 1784.

## I

## CARMINA HEROICA (5142 vers)

SILVA PANEGYRICA AD GUARINUM VERONENSEM PRAECEPTOREM SUUM.

## PRAEFATIO.

H\_1A v.1 Phillyridae monitis cum profecisset Achilles,  
 2 edoctus pariter gramina, tela, chelyn ;  
 3 non Labyrintheos relegentem Thesea flexus  
 4 ante, nec Alcidae monstra perempta manu ;  
 5 nec saevum Oebalio prostratum Bebryca caestu,  
 6 nec matris fertur concinuisse toros ;  
 7 semiferi laudes quam praelusisse magistri.  
 8 Illa fuit tenerae prima Camena lyrae.  
 9 Vix dum fila levi tentarat tinnula plectro,  
 10 adspiceres placidas accelerare feras.  
 11 Juncti gryphes equis, lepores venere molossis  
 12 contulit accipitri blanda columba latius.  
 13 Non tigrim cervus tremuit, non dama leonem,  
 14 sedit et hirsutis agna propinqua lupis.  
 15 Mobilis Oetaeo de vertice silva cucurrit,  
 16 nuper ad Herculeos silva recisa rogos.  
 17 Nudus Athos mutila Lemnon non attigit umbra  
 18 repsit ad auditos Pindus et Ossa modos.  
 19 Constitit Eurotas, et non nebulosus Anaurus,  
 20 Peneum supra nec Titaresus iit.  
 21 Carmen erat pueri, cithara quantum ille valeret,  
 22 quam bene Paeonia pelleret arte malum.  
 23 Nosset ut iratos dictis lenire bimembres,  
 24 impia tranquilla proelia pace domans.

25 Te non Ixion fallaci nube creavit,  
 26 Saturnus fratrem sed dedit ipse Jovi.  
 27 Non convivali tibi frangere pocula rixa,  
 28 nubentes studium nec violare nurus.  
 29 Tu Phoebi nutris sobolem, tu sedulus hospes,  
 30 accipis aeternos curva sub antra Deos.  
 31 Pro quibus alta manet meriti te regia caeli,  
 32 contrahit et caudam Scorpios ecce tibi.  
 33 Haec pius Aeacides. Mihi pro Chirone Guarinus.  
 34 Hunc sibi praescribet pagina nostra ducem.  
 35 Imbuat ille meae, fas est, exordia Musae,  
 36 Pierium vati qui reserabit iter.

PANEGYRIS.

H\_1B v.1 Rustica si pietas consuevit rite quotannis  
 2 flaventes Cereri spicas, nova musta Lyaeo,  
 3 arbuta Pomonae, baccas offerre Minervae,  
 4 veris opes Florae, cuivis sua munera Divum :  
 5 jure, Guarine, tibi nos carmina nostra dicamus  
 6 fontibus hausta tuis ; mea nec lyra dignius ullum  
 7 ante sonet, quam quo didicit crepitare magistro.  
 8 Verum ego si totum docili simul ore bibissem  
 9 quicquid tu, invidia nil subducente, fluebas ;  
 10 tantarum haud possem fastigia tangere laudum.  
 11 Nunc cum parva tuae vobis sit portio venae,  
 12 quid plus proficiam, nisi quod fortasse videbor  
 13 susceptorum abs te non immemor esse bonorum ?  
 14 Quamquam non alias similem sperare favorem  
 15 Thespiadum nobis liceat ; nec justius illae  
 16 Adfuerint ulli, quam te, Guarine, canenti.  
 17 Sed de Parnasi cur nunc ego vertice Musas  
 18 Sollicitem ? Coeptis tantum ipse audacibus adsis ;  
 19 adspirasse simul Bromium et Paeana putabo.  
 20 Nam te haud exiguum gestare in pectore Numen  
 21 certa fides. Quod si divinae vatibus haustum  
 22 mentis, et insanis prisci tribuere Sibyllis,  
 23 hae ventura vident, illi quod carmina pangunt ;  
 24 quid de te censere licet, qui totius aevi  
 25 acta animo comprehensa tenes ? Nec cudere solum  
 26 ipse potes numeros, magni sed Apollinis instar,  
 27 hoc aliis praebes et tot facis esse poetas ?  
 28 Dos tamen ista tibi facili non indita casu,  
 29 sed per difficiles accessit parta labores.  
 30 Hesiodum gelidae pascentem in vallibus Ascrae,  
 31 obvia nescio quae dominarum turba, disertum  
 32 effecit propere, cum porrexisset edendam  
 33 laurum, et Castalio potum de fonte dedisset.  
 34 Ennius in viridi carpens Helicone soporem,  
 35 vidit Maeoniam subito vitalibus umbram  
 36 irrepisse suis, ac pulsa nocte resurgens,  
 37 dictare annales et condere proelia coepit.  
 38 Te nec somnus iners, pecudum nec pabula frondes,  
 39 sed propria erudiit solerti industria cura.  
 40 Vix tua reddebat graciles infantia voces,  
 41 cum tibi non vano paribus contendere lusu  
 42 tantus amor, quantus tabula chartave notatos

43 balbutire apices et laetae ostendere matri  
 44 discreta inter se variis elementa figuris.  
 45 Jam tum gaudebas digitis in pulvere ductas  
 46 pingere litterulas, et passim forte jacentes  
 47 nondum intellectos tamen attrectare libellos.  
 48 Femineo quondam celatum syrmate Achillen  
 49 callidus Aeolides lituo deprendit et armis ;  
 50 te si virgineo genitrix velasset amictu,  
 51 oblato actutum potuisses codice nosci.  
 52 Post ubi creverunt sensus crescentibus annis,  
 53 non medicina tibi, scitu pulcherrima quamquam,  
 54 actu foeda tamen, Logicae aut placuere protervae  
 55 jurgia, inexplicitos frustra nectentia griphos,  
 56 nec verbosarum discors concordia legum.  
 57 Rhetoras et vates studio complecteris omni,  
 58 quos si quis novit, nil ignorare probatur.  
 59 Inde carens vitio sermonis regula surgit.  
 60 Inde fluit cultae dulcis facundia linguae.  
 61 Hinc dissertandi subtile paratur acumen.  
 62 Hinc rerum scitur series et forma locorum.  
 63 Nec minus ingenuae discuntur quattuor artes,  
 64 quae numeros, voces, mensuras, sidera, tractant.  
 65 Adde tot humanae praecepta salubria vitae,  
 66 dogmate multifido pugnantibus edita sectis.  
 67 Junge etiam semper patientis, semper agentis  
 68 materiae fluxus et fata regentia mundum.  
 69 Invenies illic (memorem ne singula) quicquid  
 70 tradidit Aegypto Babylon, Aegyptus Athenis.  
 71 Qui Superi et manes, quid agant post corpora mentes,  
 72 quis Deus, unde ingens causarum pendeat ordo.  
 73 Ergo nil illis ornatu pulchrius umquam,  
 74 nil usu melius donarunt Numina terris.  
 75 Hos tu praecipuos auctorum ex agmine tanto  
 76 deligis, et numquam fecunda volumina cessas  
 77 nocturna versare manu, versare diurna.  
 78 Ac quaevis mixtus rauca inter pulpita ephebis,  
 79 mox praeceptorum non tantum dicta tuorum  
 80 percipis et retines ; meliora sed ipse potenti  
 81 ingenio profers, ac te jam consulit omnis  
 82 turba, et discipulus doctori incognita monstras.  
 83 Multa tamen suberant libris obscura vetustis,  
 84 praesertim externam nostrae admiscentia linguam,  
 85 quae cupidam certum penitus pernoscere verum  
 86 mentem obturbabant et desperare jubebant.  
 87 Cum tuus ambiguum sic te est affatus Apollo :  
 88 "Parce tuo, Juvenis, nimium diffidere voto,  
 89 praemia nec pigeat parituri magna laboris.  
 90 Nil non posse tibi pater annuit ; omnia disces,  
 91 omnia tu veterum monimenta docebis avorum.  
 92 Sed non in patria dabitur, Romane, quod optas.  
 93 Longinqua emenso lustranda est Graecia ponto,  
 94 ut tibi succedat perfecta scientia rerum.  
 95 Multi hanc extremum vestigavere per orbem.  
 96 Sic Plato Memphitas, Samius sic quaesiit exsul  
 97 Assyrios ; sic, quos vocitant Brachmanas, adivit  
 98 multivagus Tyaneus, Indi mirator Iarchae.  
 99 Tu numquam, per quae reptasti, tecta relinques ?  
 100 Anne est turpe tibi (quod foedum Varro negavit,

101 quod Cato) jam grandem puerilis prima Minervae  
102 orfa sequi, et veteris notulas agnoscere Cadmi ?  
103 Vel te forte movet solitus ridere loquaces  
104 Inachidas Marius, qui plus cum Marte Lyaeum,  
105 quam me cum Musis coluit ? Prudentior illo  
106 Arpinas alius, cui copia vocis Achivae  
107 praestitit eloquio cunctos superare Quirites.  
108 Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo  
109 musa loqui. Ausoniis quicquid spectabile chartis,  
110 Actaei fudere senes, et origine prisca,  
111 vester ab Aeoliis descendit sermo Pelasgis.  
112 Nec modo Romanas aliud magis obruit artes,  
113 quam quod Cecropidum studia intermissa Latinis.  
114 Quare age tu saltem, Danaas post longa Camenas  
115 saecula redde tuis ; tantae primordia laudis  
116 praeripe, nec dubita praeclarum exemplar haberi,  
117 quod mox multorum virtus accensa sequatur.  
118 Neve iter ignotum, medium neu terreat aequor,  
119 salvum ego te ducam, salvumque, Guarine, reducam  
120 Veronae ad muros, et fama nominis alti  
121 Oceanum tranare dabo, contingere caelum.  
122 His motus stimulis, vento caput et maris undae  
123 credis, et Hadriacos, Veneta legis arbore, fluctus.  
124 Laeva monticolae Carni linquntur et Istri,  
125 nec non Illyriis passim gens mixta Liburni.  
126 Tum plaga Dalmatiae, tum Pyrrhi nobile regnum.  
127 His adversa jacens tellus Oenotria, dextra.  
128 Porro inter Pelopis terras et litora vectus  
129 Sicaniae, Dictaea Jovis cunabula visis.  
130 Nec petis oppositas, sine re modo nomen, Athenas,  
131 plena sed Aegaeo committens vela patenti,  
132 transis dispositas in magnum Cycladas orbem,  
133 ac Sporadum nullo sparsas fugis ordine cautes.  
134 Mox hinc Lemnon, at hinc abscondis Lesbion et alta  
135 prospicis Iliacas Tenedi de rupe ruinas.  
136 Excipit artatum terris propioribus aequor,  
137 qua nitido effusam flevit vectore sororem  
138 Phryxus, et infelix flevit Leandria virgo  
139 funera, qua junctam vix credens Seston Abydo,  
140 cantat adhuc Medos, nautarum fabula, pontes.  
141 Fusior inde tua sulcatur nave Propontis.  
142 Donec in Odrysios cecidit gravis ancora portus,  
143 aemula Romuleis tollens ubi moenia muris,  
144 Thracius Euxinas angustat Bosphoros undas.  
145 Vir fuit hic patrio Chrysoloras nomine dictus,  
146 candida Mercurio quem Calliopea crearat,  
147 nutrierat Pallas. Nec solis ille parentum  
148 Clarus erat studiis, sed rerum protinus omnem  
149 Naturam, magna complexus mente tenebat.  
150 Postmodo sacrilegae rabies quem perfida gentis,  
151 errori quod se socium, pius ipse, negabat,  
152 sedibus ejectum, Latio transmisit, avitis.  
153 Sancta nec ossa viri tumulis jacuere suorum,  
154 sed procul Arctoo rigat haec Constantia Rheno.  
155 Hunc petis, et miris tot pulchra ornatibus unum  
156 quaeris in urbe virum, neu tantum verba docentis  
157 advena captares ; sed proximus intima vitae  
158 arbiter inspiceres ; famulus colis atria docti

159 hospitis, et mixto geris auditore ministrum.  
 160 Tam cito non rapuit Neoclides Persida vocem,  
 161 barbara dum victi sedet ad praetoria regis ;  
 162 quam cito tu sectam quino discrimine linguam  
 163 hausisti Crasso longe distinctius ipso.  
 164 Nec quisquam Hesperiiis natum dixisset in oris,  
 165 cum tua Mopsopiam sonuissent ora loquelam.  
 166 Quod plane assiduus fandi tibi contulit usus  
 167 ac declamandi toties ; nec more sinistro  
 168 Pythagorea annis servata silentia quinis.  
 169 Scire loqui haud satis est ; penitus sed nosse laboras,  
 170 historici quicquid, quicquid scripsere Sophistae,  
 171 quicquid divini tegit alma poesis Homeri.  
 172 Inde alias, post inde alias transcendis ad artes,  
 173 singula degustans, quae vel rigidissima firmat  
 174 Porticus ; incertis vel contra sensibus edit  
 175 helleboro tardam purganda Academia bilem.  
 176 Vel si quid melius spatiantum interserit ordo.  
 177 Quive individuus e partibus omnia fingunt.  
 178 Non secus ac flavi stipatrix Daedala mellis,  
 179 florentem primis subiit cum roribus hortum,  
 180 omnia odorati populatur germina veris,  
 181 nunc casiam, nunc illa thymum, nunc lene papaver,  
 182 delibans, nunc fila croci redolentia parvo  
 183 crure legens, donec sero jam vespere notas  
 184 pulsat onusta fores et cerea tecta revisit :  
 185 sic Chrysolorei cupide tu pectoris omnes  
 186 carpis divitias et corde recondis in imo  
 187 sedulus, ac nullam consumis inaniter horam,  
 188 obsequiisve vacans domini, monitisve magistri.  
 189 Si quid ab his reliqui superest tibi temporis umquam,  
 190 vel scribis, vel scripta legis, vel lecta reponis,  
 191 multa ferens, multa et faciens, sudoris et algi  
 192 numquam expers, vini ac Veneris sed jugiter expers.  
 193 Nec magis indulgens somno quam pervigil Argus,  
 194 aut Colchus Libycusve anguis vel inhospita Gorgon.  
 195 Nam cum te ardenti tandem indormire lucernae  
 196 impulerat totis urgens sopor invidus alis ;  
 197 tu fessos acri stimulabas vulnere sensus,  
 198 eduros teneris immergens artubus ungues.  
 199 Tantus amor veri, tantae sapientia curae !  
 200 Macte animi, qui tam procul a natalibus arvis,  
 201 instabili quantum Symplegade Sirmio, quantum  
 202 Pangaeis Alpes, Athesis diducitur Hebro,  
 203 talia quaerendis persudas otia Musis.  
 204 Quae satis aequa tuo reddam praeconia facto ?  
 205 Quemve umquam simili flagrasse cupidine dicam  
 206 Aonidum ? Caeco latuit male tonsus in antro  
 207 bellacem orando fregit qui paene Philippum.  
 208 Tu, te non propriae subter penetrabilia cellae  
 209 clausisti, sed tam longe studiosus abisti,  
 210 unde tuis de te numquam vel fama rediret.  
 211 Induit Euclides muliebria tegmina membris ;  
 212 Dorica pro Latio tu sumpsti pallia cultu.  
 213 Democritus contempsit opes, sed parte retenta :  
 214 tu nil servasti. Putei mercede Cleanthes  
 215 Chryssippi secreta bibit : tu mille subisti  
 216 jussa cliens doctoris heri. Dimisit avitos

217 fortis Anaxagoras late sterile scere fundos :  
 218 tu cor ut excoleres, sulcis tibi corpus arasti.  
 219 Scilicet haud umquam leviter pretiosa parantur,  
 220 nec nisi difficili surgunt ingentia nisu.  
 221 Nimirum illa rudes mundo abstersura tenebras,  
 222 ornatura novos, illustratura vetustos,  
 223 per magnos cumulanda fuit doctrina labores.  
 224 Nec te aerumnarum pigeat, Guarine, tuarum.  
 225 Sudasti haud frustra, suos haec incommoda fructus  
 226 obruit, et longe cedunt dispendia lucro.  
 227 Hic licet Eoos currens ignotus ad Indos,  
 228 barrorum dentes, Arabumve reportet odores,  
 229 pexave lanigeris fulgentia vellera silvis ;  
 230 alter Hyperboreas timide rimatus arenas,  
 231 eruat innumero servatos grype smaragdos ;  
 232 aut Erythraea legat quos celat concha lapillos ;  
 233 ille metalliferi scrutatus viscera montis  
 234 palleat, et Stygiis, quam caelo, admotior umbris,  
 235 effodiat, curet quam protinus abdere, massam :  
 236 non tamen has aequabit opes. Haec gaza Sabaeas  
 237 exsuperat species, ebur, aurum, serica, gemmas.  
 238 Quid, quod inutilius quidam haud leviora tulerunt ?  
 239 Perseus et zephyrum pennis lustravit et austrum,  
 240 tolleret ut domiti pretium Cepheida monstri.  
 241 Occidui Alcides solis devexa secutus,  
 242 fulva Phoroneos ut poma referret ad Argos :  
 243 trunca puppe audax Colchos ingressus Iason,  
 244 serpentum excubias, taurorum incendia, pugnas  
 245 horruit anguigenum. Quae tantis digna periculis  
 246 praemia ? Flaventi nempe illita lana metallo.  
 247 Tu revehis victor, quod non modo vile nitenti  
 248 pellicula, et malis Libycis et virgine fusca  
 249 non mutare velim, sed pro quo cuncta recusem  
 250 quae Mida convertit ; quae pollens divite regno  
 251 Lydorum, aurifluis collegit Croesus in undis.  
 252 Altera perfecto, celebrabat Olympia, lustro  
 253 Elis, et Alpheus terrae per operta volutus,  
 254 visa recensebat Siculis solemnia Nymphis ;  
 255 cum te jam Graio plenum praecordia Phoebos,  
 256 admonuit patriae leviter Deus aure prehensa.  
 257 Ergo recedenti Byzantia Roma recedit,  
 258 nec minus adversam condunt Chalcedona nubes.  
 259 Mollis laeva Asiae, dextra de parte ferocis  
 260 vicina Europae tellus fugit, et vice justa  
 261 lata bis angusto succedunt caerulea ponto.  
 262 Vos o Cyanaeo volitantes aere venti,  
 263 justitiae fratres, Divae omniparentis alumni,  
 264 qui quatit terras, et ab imo Nerea fundo  
 265 eruitis ; per quos caeli variatur imago,  
 266 ut modo caliget nebulis polus, et modo late  
 267 rideat optati facies tranquilla sereni.  
 268 Unde vices anni, nec non et frigora et imbres,  
 269 unde graves tonitrus et hiulci fulminis irae.  
 270 Sic vos Hippotades leni moderamine frenet,  
 271 nec ferus eversum Neptunus vindicet aequor,  
 272 paulisper cohibete minas et parcite flabris,  
 273 dum ratis haec Italas contingit sospes arenas.  
 274 Non turpes thalamos piratarumve cohortem,

275 delicias non illa Phari peregrinave nostrae  
 276 luxuriae fomenta gerit ; meliore coemptas  
 277 Mercurio sed ducit opes. Hac tota vetustas,  
 278 hac una, vehitur facundia bina, carina.  
 279 Quae nisi Orionias evadat salva procellas ;  
 280 fandi ubi cultus erit ? Divina ubi carmina vatum ?  
 281 Ingenia Hesperiae quanta sub nocte jacebunt ?  
 282 Audimur. Spirant Euri post terga secundi,  
 283 nec deest pollicitis proles Latonia Paeon.  
 284 Ille etiam, Ortygien cum jam tua prora subisset,  
 285 fatidicas in te laurus commovit et ultro  
 286 Delia sortilegi patuere oracula templi.  
 287 Nulla nec optavit compleri numine Phoebas,  
 288 dum servire suos gaudet tibi laeta furores.  
 289 Tum sic ex imis cortina remugiit antris :  
 290 o felix ! longam, placido cum funere, vitam  
 291 cui tribuit pater, et decus indelebile clari  
 292 nominis, et centum numerosa e prole nepotes.  
 293 Id tantum, Guarine, cave, tua ne bona solus  
 294 possideas, unive tuus tibi luceat ignis.  
 295 Edita nec caeca te sors ambage fefellit.  
 296 Illico sensisti tua te impertire juberi  
 297 omnibus, et sacros doctrinae effundere rivos,  
 298 inde futurorum jam certior, aequora rursus  
 299 mensa remetiris ; nec longum tempus, et urbem  
 300 ingrederis Venetam spoliis Orientis onustus,  
 301 non Mavorte fero, placida sed pace paratis.  
 302 Laus fuit haec veterum, patrias traducere ad oras  
 303 si quid in orbe alio pulchrum rarumve notassent.  
 304 Transeo te regum victor, Luculle, duorum,  
 305 ornasti Latios Scythicis qui fructibus hortos.  
 306 Nobiliora sequar. Populo monstravit hianti  
 307 Mummius eversa, viventia signa, Corintho.  
 308 Persei Scaurus dedit ossa immania ceti.  
 309 Regulus immensi transmisit terga draconis.  
 310 Hic primus media discurrere fecit arena  
 311 spectatas non ante feras, Italisque volucres  
 312 ignotas lucis, a Nilo aut Phaside duxit.  
 313 Ille novum lapidem Phrygia Libyave petatum,  
 314 mirave longinqua portavit robora silvae.  
 315 Tu Latio cunctis infers majora triumphis,  
 316 quae nec magnanimitate dives victoria Pauli  
 317 aequarit, Cypro nec quod Cato vexit opima.  
 318 Troius Aeneas raptos ex hoste penates  
 319 attulit, et matrem torva cum Pallade Vestam.  
 320 Tu Divos Itala dudum tellure fugatos  
 321 restituis ; tecum virgo Tritonia, tecum  
 322 somnifera insignis virga Cyllenius ales,  
 323 tecum deserto remeant Helicone Camenae.  
 324 Tu Bacchi thyrsos et Phoebi plectra reducis.  
 325 Vix tactum bene litus erat, vix janua ludi,  
 326 mandatis adaperta Dei ; vagus omnia rumor  
 327 gymnasia Italiae centeno murmure complet,  
 328 affulsisse virum, gemina qui Pallade solus  
 329 polleat, et duplicem praestet sitientibus haustum.  
 330 Curritur ad bifidi suavissima flumina fontis,  
 331 atria nec capiunt studiosas ampla catervas.  
 332 Mirantur cuncti melius vel nostra docentem,

333 vel nova Erechtheae promentem nomina linguae.  
 334 Mirantur caecis tandem prodire latebris  
 335 sensa tot auctorum mille indeprenta per annos,  
 336 nec prius auditos puduit risisse magistros.  
 337 Verborum pars nulla perit, sed cuncta citatis  
 338 excipiunt calamis et longa in saecula recondunt.  
 339 Ceu cum depastis late fenilibus, aegrum  
 340 lenta gregem tenuavit hiems, et debile languet  
 341 jejuna pecus omne fame, si frigore pulso  
 342 afflavit tepidos zephyri clementia campos,  
 343 ocius erumpunt stabulis armenta reclusis,  
 344 ac primum virgas et quaelibet obvia tondent ;  
 345 quodsi maturas jamdudum vallis apricae  
 346 planities ostendit opes, huc agmine facto  
 347 irrevocata ruunt et laeto vere fruuntur,  
 348 pastorum tacitas pertentant gaudia mentes.  
 349 Ad tua sic avidi contendunt limina coetus,  
 350 ut meliora novae decerpant dona Minervae.  
 351 Ast aliis deserta vacant subsellia, nec jam  
 352 ipse manet cathedra modo qui dictabat ab alta,  
 353 sed se discipulis comitem properantibus addit.  
 354 Omnis condicio, sexus simul omnis et aetas  
 355 accelerant. Plebi stipatur curia. Mixti  
 356 primaevae canis, maribus sedere puellae.  
 357 Multi, quos vitae ratio diversa tenebat,  
 358 jam Musas et plectra volunt. Mercator avara  
 359 prosilit a mensa. Neglecto durus aratro  
 360 rusticus, et posita festinat cuspide miles.  
 361 Nec reliquis pretium manet artibus ; ars tua cunctis  
 362 praefertur studiis. Radio geometra relicto  
 363 te petit. Assuetus rerum disquirere causas  
 364 se tibi submittit sapiens. Tua tecta frequentant  
 365 morborum curas et legum scita professi.  
 366 Patribus in primis summi pia gloria voti  
 367 erudienda tuae committere pignora curae.  
 368 Nam quis te melior vel provexisse volentem,  
 369 vel contra ignavo discendi subdere calcar ?  
 370 Principio recte das fundamenta loquendi,  
 371 recte scribendi compendia tradere callens,  
 372 ne lingua accentu, calamo ne dextera peccet.  
 373 Mox argumento formatur epistola ficto.  
 374 Proxima volvendis annalibus otia dantur.  
 375 Declamare dehinc et carmina fingere monstras,  
 376 dum matura suam facundia crescat in arcem  
 377 per certos evecta gradus. Nec scripta recenses  
 378 ponia, sed tantum recipit quae fida vetustas.  
 379 Quodsi quem imbutum non pura fruge notasti,  
 380 agricolae ritu filicem prius eruis arvo,  
 381 semina deinde jacies fructus latura metendos.  
 382 Par morum doctrina tibi ; quis Zeno ? Quis umquam  
 383 sic potuit Crantor viriis avertere mentes,  
 384 ac teneram dextro pubem deducere ramo  
 385 angustum qua surgit iter ? Non cera figuras  
 386 tam digito subigente trahit, quam mollis ephebus  
 387 te ducit fingente virum. Nec verbere torvo  
 388 aut ferula insanis, sed majestate potenti  
 389 tranquillius delicta premis ; cessante flagello  
 390 objurgata tuis paret lascivia frenis.

391 Nil igitur mirum si te mercedibus amplis  
 392 tot sibi certarim populi petiere magistrum.  
 393 Nec vero tu te prius una in sede locasti,  
 394 quam sparsa innumeras tibi disciplina per oras.  
 395 Sic genitus Celeo Siculae nova semina matris  
 396 non Pandioniis tantummodo condidit arvis,  
 397 sed procul aereo vectus per inania curru,  
 398 Chaonias late jussit vilescere glandes.  
 399 Emeritos donec taciturni conscia sacri  
 400 orbe peragrato colubros disjuxit Eleusin.  
 401 Tu mare frenantes Venetos, tu Antenoris alti  
 402 instituis cives. Tua te Verona legentem,  
 403 finis et Italiae stupuit sublime Tridentum.  
 404 Nec jam flumineum referens Florentia nomen.  
 405 Ac Phoebos quondam, nunc sacra Bononia Marti.  
 406 Tandem mansurum placida statione recepit  
 407 pacis et aligeri Ferraria mater Amoris.  
 408 Qua Padus in geminos iterum se dividit amnes,  
 409 luget et ambustum fratrem pia silva fororum.  
 410 Hic tum Nicoleos rerum retinebat habenas,  
 411 stirpis Atestinae clarum decus ; ille venustis  
 412 artibus ut natum simul exornaret et urbem,  
 413 te Phaethonteos Musis sacrare colonos,  
 414 Te Leonelleae voluit superesse juventae.  
 415 Oppida nam fieri Plato si felicia dixit,  
 416 purpura cum sapiat, vel cum sapientia regnet ;  
 417 divinum hic quiddam tum duxit jure futurum,  
 418 si rector doctam moderetur doctior aulam.  
 419 Nec frustrata virum sua spes ; videt ecce suprema  
 420 aetheris e specula, quod tota mente petebat.  
 421 Nam cultam studiis Leonellus cultior, alma  
 422 sic in pace regit patriam, sic jure quieto  
 423 temperat, ut reliquis late cum ferrea volvat  
 424 urbibus, huic uni vehat aurea tempora Titan.  
 425 An non Saturni sunt illic saecula patris  
 426 bella ubi nulla fremunt, nisi quae descripta leguntur ?  
 427 Semper ubi laetas populo plaudente choreas,  
 428 intus festa sonant, et picta palatia surgunt,  
 429 arva foris gravido locupletat Copia cornu ?  
 430 Fortunati ambo : plebs praeside, plebe tyrannus.  
 431 Ambobus sed tu tantorum causa bonorum.  
 432 Per te belligeris praelatus fratribus, alto  
 433 ille sedet solio, monitis et se inde fatetur  
 434 profecisse tuis, quod te complectitur omni  
 435 parte sui et seris mandare nepotibus optat.  
 436 Nec secreta tibi larium negat ulla suorum,  
 437 formandam pariter credens cum conjuge prolem.  
 438 Per te, Mars alias lituis dum perstrepat oras,  
 439 sola vacat citharis Ferraria, sola triumphat,  
 440 principibus fecunda piis, fecunda disertis  
 441 civibus, et pariter cunctis habitata Camenis.  
 442 Nec solas, quas ipse doces, hic cernimus artes.  
 443 Adsunt et reliquae, sed tu dux omnibus illis.  
 444 Tot siquidem medici, gemino tot jure periti,  
 445 tot triplicem amplexi sophiam, te propter in istum  
 446 confluxere locum ; tu si vada Syrtis iniquae  
 447 incoluisse velis, Scythicove in vertice sidas,  
 448 si vaga Sarmaticis figas tentoria campis,

449 aut in Getulis habites magalibus, illic  
450 gymnasium fiet, studia illuc cuncta meabunt.  
451 Verius ergo potes dici tu conditor hujus,  
452 quam qui cornigerum jungens cum matre juvenum,  
453 primus ei, ducto sanxit pomoeria sulco,  
454 transtulit et curvum, portam dum signat, aratrum.  
455 Scilicet est majus fragiles attollere pinnas,  
456 aggeribus fossas praecingere, turribus arces,  
457 quam populo silvis excito ac vallibus imis,  
458 ingenuas artes et vitae inducere cultum !  
459 Quin et structorum celebravit honoribus illos  
460 fama prior, per quos vaga turba coivit in unum  
461 corpus, et insulsum gentes posuere rigorem.  
462 Nec secus Amphion Tyrios, me iudice, muros  
463 Cynthus erexit Phrygios ; dum pectine dulci  
464 attractas cogunt in moenia crescere petras.  
465 Vox, chelys illa, fuit, duri, saxa illa, coloni.  
466 Hoc, Guarine, tibi nuper Ferraria, pacto  
467 fundata est ; talem tua quam praesentia fecit,  
468 ut jam nunc veteri tam sit diversa juventae,  
469 plena senescenti quam distat Cynthia Lunae.  
470 Ante rudis rerum, nunc ipsis aemula Athenis,  
471 nulli nota prius, totum nunc clara per orbem,  
472 incelebris quondam, magni nunc hospita mundi.  
473 Nam te audituri terrarum ex omnibus oris  
474 huc coiere viri ; tua nec te Oenotria tantum,  
475 miratur. Movere tuae praeconia famae  
476 hos etiam, Musas qui condemnare solebant.  
477 Ad te permenso descendit Dalmata ponto.  
478 Ad te Creta, Rhodos, properavit et ultima Cypros,  
479 sole Rhodos, Jove Creta, Cypros Cythereide felix.  
480 Pro te Sequanicos Galli sprevere magistros,  
481 Germani argutam pro te liquere Viennam.  
482 Venit et Herculeis vicina Hispania metis.  
483 Axe sub Arctoo positi venere Poloni.  
484 Venerunt alio volitantes orbe Britannii.  
485 Me simul hos inter, fatis et sorte Deorum,  
486 Pannoniae tellus tenero tibi misit in aevo,  
487 qua mox Danubio mixturus nomen et unda,  
488 pingua culta secat leni jam gurgite Dravus.  
489 Urbs si quem tota una colit, satis esse beatus  
490 creditur, et tumida resupinus laude superbit.  
491 Ludi turba tui est quicquid jacet inter Iberum  
492 ac Tanain, quicquid discedunt Cydnus et Albis.  
493 Qualiter in mediis reddens oracula Delphis,  
494 gentibus a cunctis acceditur augur Apollo,  
495 hunc notus et boreas, nec non occasus et ortus  
496 consulit in dubiis, et rerum abscondita discit,  
497 quis bello morbisve modus ; prudentia cujus  
498 prima viri ; miseros quis felicissimus inter  
499 mortales ; quae longarum fortuna viarum.  
500 Ille licet caecis penitus demersus in antris,  
501 tempora cuncta tamen momento cernit in uno.  
502 Volvere nec Parcae, populive inquirere tantum  
503 sufficiunt, quantum solus valet edere Paeon.  
504 Sic ad te toto certatim ex orbe profecti,  
505 agrestes animos et barbara corda reponunt.  
506 Nec tuus assiduo fons umquam deficit haustu,

507 purior et major sed in omnia pectora manat.  
508 Ut Pharon immenso fecundat flumine Nilus,  
509 magnus ut Euphrates Chaldaeos irrigat agros,  
510 gurgite nec tantum collectus laberis uno,  
511 sed velut innumero prorumpens ore Timavus,  
512 multiplices aperis rivos. Scatet ille Latinis  
513 artibus, hic Graiis. Bibit hinc provector aetas,  
514 inde minor. Prima seu quis maduisse Minerva,  
515 rhetorico potius cupiat seu nectare tingi,  
516 seu velit annales, seu dia poemata vatum.  
517 Quos tu non trito vulgi de more, retexis,  
518 plana et aperta sequens ; ceu qui vaga retia summis  
519 ducit aquis, fundo nec praedam quaerit in imo.  
520 Grandia sed parvis, sublimibus infima miscens,  
521 nil indiscussum penitus, dubiumve relinquis,  
522 syllaba uti nullum, tenuis vel littera fallat.  
523 Qui structurae ordo, quae sit sententia vocum,  
524 quae nota verborum servata fidelibus annis,  
525 quodlibet a quam decurrat origine nomen,  
526 quid distent unum quae significare videntur,  
527 qui stilus aut numeri decies, quis carminis auctor,  
528 argumenta quibus veniant e sedibus, et quos  
529 excuset ratio, commendet forma colores,  
530 narrandi quae lex potior, quod saepe per artem  
531 in medio soleant prima et postrema locari,  
532 nec se a principiis moveat tractatus et imos  
533 desinat in fines ; sed gratius ordine verso  
534 ultima praeveniat, longe prius acta reservet.  
535 Tunc tamen exsuperas cum rerum abstrusa recludis,  
536 cum veterum sectas inter figmenta latentes  
537 producis ; nec te solertior edere quisquam,  
538 mystica secreto quid celet fabula sensu.  
539 Quod vastum sine lege Chaos, quae bella Gigantum,  
540 qui Pyrrhae lapides, Phaethonteive calores,  
541 quas Procne plumas, quae cornua sumpserit Io,  
542 Daedalus arma quibus Minoia fugerit alis,  
543 quae vis reppulerit solem, quo robore caelum  
544 fulciat altus Atlas, quod virus Gorgonos atrae,  
545 quid facies habitusve notent et sacra deorum.  
546 Nempe etiam quoties divinam Aeneida versas,  
547 haud frustra Aeolio ventos in carcere ponis.  
548 Ter quater et dictos ostendis jure beatos.  
549 Quid supplex Erycina patri, mutatae divae  
550 effigies, vel nube cava contactus Achates.  
551 Illa tot in primis stabulantia faucibus Orci  
552 quid sibi monstra velint ; quae tres ex ordine Parcae ;  
553 quae totidem Furiae, quod rami divitis aurum,  
554 quam pulchrum occulta condant sub imagine verum  
555 trux avis, unda fugax, volucris rota, pendula moles,  
556 ac reditura silex, et futilis urna sororum.  
557 Quae rabidi tria colla canis, quae cruda senectus  
558 remigis, Elysiae quae pigra oblivio Lethes,  
559 cur novies fusam metuant Styga fallere Divi,  
560 Cocytus lacrimis, Phlegethon cur igne redundet ;  
561 per geminas diversa volent cur Somnia portas,  
562 nec Smyrnaea minus belle penetrabilia pandis,  
563 qua tenuit Siren, qua vi Titania vertit ;  
564 qui Veneris cestos, triplicis quae flamma Chimaerae,

565 quid Jovis adjutor Briareus, dejectus ab alto  
566 Mulciber, inclusus cavea Gradivus aena,  
567 Aethiopum mensae, cum conjuge Tethyos irae,  
568 aurea quid signet pendens ex aethere funis.  
569 Talia dictantem pronis te aurita juvenus  
570 sensibus attendit. Sic cum Lesbous Arion  
571 dorsa recurva premens mediis tinniret in undis  
572 dulce melos, toto cantu commota profundo  
573 monstra maris, saevos damnarunt mitia nautae.  
574 Sternuntur fluctus, rupto caput excita somno  
575 phoca levat, nec tarda ducem balaena moratur,  
576 raucum Nereides rident Tritona protervae.  
577 Non Acin Galatea gemit, non mater Achillen.  
578 Nec plus Inoae meminit Melicerta ruinae.  
579 Non centum saltare vetant Aegaeona nodi ;  
580 fatidicus Proteus stat vultu immobilis uno ;  
581 nec vitasse velit mutantia gramina Glaucus.  
582 Jam silet, Isthmiacis siccat jam solibus udos  
583 ille sinus, et adhuc servant freta lata choreis.  
584 Ipse dies pulchro distinguitur orbe laborum.  
585 Mane salutatis, petitur schola publica, divis,  
586 Socratis antiquo nil concessura Lyceo,  
587 tot juvenum clara fulget stipata caterva.  
588 Vergilius primum legitur, vel proximus illi  
589 quilibet ; hunc sequitur qui contudit arma togatus ;  
590 aut implere vicem Ciceronis idoneus alter.  
591 Exin vicinam conscendis Principis aulam.  
592 Hic te Nicoleos audit Leonellia proles,  
593 ac morum simul et studiorum insignia sumit.  
594 Talis Aristoteles rerum secreta docebat  
595 Pellaeum juvenem, quibus ille accensus in omnes  
596 extendit terras animos ; nec digna magistrum  
597 destituit merces. Nam compensante Philippo,  
598 instaurata manet pretium Stagira laboris.  
599 Post reditum prandere datur, gula dicere possit  
600 quod modicum : natura satis. Post prandia rursus  
601 lectio codicibus miscetur Graia Latinis.  
602 Ac variae sub te certantur iudice lites,  
603 donec in occiduum declinet Cynthius axem.  
604 Haec inter, cunctis late tua janua tota  
605 luce patet ; notae deservit vespera turbae,  
606 quam tecum domus una tenet ; non temporis illic  
607 incassum momenta volant ; saepe exsule somno  
608 ad pingues longa vigilamus nocte lucernas,  
609 aethereis nostros astris mirantibus ignes.  
610 Agmine tu medio sublimis vel nova dictas,  
611 vel dictata iteras non intellecta, paratus  
612 quaesiti decies aenigmata solvere nodi.  
613 Sed minus est cultas abs te quod discimus artes,  
614 plus quod virtutes. Procul hinc malesuada libido,  
615 improba rixa procul. Sic te sub praeside cuncti  
616 degimus, aeditumos templis ut degere fas est.  
617 Tanta quies animis, ea casti cura pudoris !  
618 Vidi ego non unum, quem perditus ante ferebat  
619 transversum luxus, postquam tua limina dextris  
620 contigit auspiciis, mores posuisse sinistros.  
621 Ut quondam audito Polemona Xenocrate dicunt  
622 corruptum subito vitae mutasse tenorem.

623 Scilicet a fructu felix agnoscitur arbos ;  
 624 laeta probat messis quam pingui creverit arvo.  
 625 Haud aliter qualis tua sit doctrina, patescit  
 626 discipulis, Guarine, tuis. Non Daunia tantos  
 627 olim terra viros, nec dives Ionia fudit  
 628 siccave Cyrene vel Nilo interflua tellus,  
 629 quantos tu latum sparsisti solus in orbem.  
 630 Inde duplex Venetae processit gloria gentis,  
 631 barbarus, et plectro celebrer Leonardus eburno.  
 632 Inde Jovis genitus de stirpe Georgius alti,  
 633 Cretaea, simili pavit quem lacte, sub Ida  
 634 digna polo nutrix, et apes non rauca secutae  
 635 cymbala, purpureis mel congersere labellis.  
 636 Hinc veterum nulli cedens Castellus avorum.  
 637 Martius et, Latiae nunc jam lux altera linguae,  
 638 Martius undisono quem Narnia monte creavit,  
 639 Martius aeternum Jani sub pectore nomen.  
 640 Hinc Aganippaeo Tobias fonte rigatus ;  
 641 sed Titus hac ipsa longe perfusior unda,  
 642 seu lituo pugnas, cithara seu cantet amores,  
 643 intexens Paphiae laurum Parnasida myrto.  
 644 Clarus et historia Fatius ; nec dignus iniquis  
 645 jam Petrus podagris, et acerbo Lamola leto.  
 646 Multis praeterea, quorum si nomina quaeram,  
 647 promptius enumerem veris tibi gramina, fetus  
 648 autumnii, brumae nimbos, aestatis aristas ;  
 649 astra quot in caelo, pelagi quot in aequore conchae.  
 650 Quos inter nec me venientia saecla tacebunt.  
 651 Primus ego Eridani patrium de gurgite ad Istrum  
 652 Mnemonidas Phoebos ducam comitante sorores.  
 653 Primus Nysaeos referam tibi, Drave, corymbos,  
 654 ac viridi in ripa centum sublime columnis  
 655 constituam templum, media, Guarine, sedebis  
 656 aureus in camera, picto super iridis arcu,  
 657 insistens Lunam, radiis et solis amictus.  
 658 Ut nec Phidiacum miretur Pisa Tonantem,  
 659 nec Rhodos immani surgentem mole Colosson.  
 660 Stabunt et vivis spirantia signa figuris.  
 661 Idaeam assimilans conjux Thaddaea parentem,  
 662 bis senae juxta facies, tua sancta propago,  
 663 caelicolum totidem vultus imitata serenos.  
 664 Omnis ibi Europae sacris operata juvenus,  
 665 suspendet tibi dona tholo, certabit et omnis  
 666 non caestu crudo pubes, nitidave palaestra,  
 667 sed fidibus tentis et suave crepantibus hymnis.  
 668 Victores apio crinem cingentur amaro.  
 669 Ipse coronatus vittis et fulgidus ostro,  
 670 inter psallentes, candenti in veste, ministros,  
 671 Pontificis ritu fumos adolebo Sabaeos.  
 672 Interea has tenerae tibi me sacrare juventae  
 673 primitias, triplici jubet haerens Gratia nexu,  
 674 gratia Lethaeos numquam potura liquores.  
 675 Tempus erit cum jam maturis viribus audax,  
 676 sanguineas acies et Martia bella tonabo  
 677 Joannis magni, quantis modo caedibus acres  
 678 Turcorum obruerit populos ; quibus ille profundas  
 679 aequarit valles cumulis ; scit saepe cruentus  
 680 Hebrus, et albentes etiam nunc ossibus agri

681 Paeoniae, ac mediis Rhodope calcata pruinis.  
682 Nunc te, qua possum, tenui modulabor avena.  
683 Otia forte tibi si quando parva legendi,  
684 festave lux, annive quies consueta, remisit ;  
685 cetera cum solos discurrit turba per agros,  
686 messe perusta genas, pressisve immunda racemis ;  
687 tu condis transfersve aliquid quod prosit in usus  
688 communes, et te memori procul inserat aevo.  
689 Aut vernum ad solem cum garrit aprica senectus,  
690 vel mediis brumae tenebris Caprive diebus,  
691 cum stertunt reliqui, cella tu clausus in alta,  
692 adrodus digitos, pluteum vel caedis et atro  
693 paulatim niveam signas humore papyrum.  
694 Unde, licet tanto curarum pondere pressus,  
695 plura secuturis animi monumenta dedisti,  
696 quam qui secreta vacui spatiantur in umbra.  
697 Illa docent structis adnectere nomina verbis,  
698 haec vocum explanant proprias ex ordine vires.  
699 Jungis ad haec, magni suerit quae vita Platonis,  
700 blandus adulator rigido quid distet amico.  
701 Missa nec in levibus juvenatur epistola nugis,  
702 sed semper studiis aliquid, vel amoribus affert.  
703 Haec etiam possim multorum aequare libellis  
704 quae seris in cathedra, vel si qua ex tempore profers.  
705 Sin meditata sonas ; funduntur pectore ab uno  
706 Isocratis numeri, Xenophontis gratia, torrens  
707 Isaei, cultus Lysiae, Demosthenis ardor.  
708 Qualem te ingenuas laudantem audivimus artes,  
709 cum pridem Octobres studiorum exordia nobis  
710 restituere Idus, et misso in dolia musto,  
711 garrula solliciti rediere ad scamna comati.  
712 Quis tunc Musarum sacris non ignibus arsit ?  
713 Quem tuus Aonio non impulit Euchius oestro ?  
714 Aut qualem rapti nuper te, in funere diro  
715 principis, orantem tristis Ferraria sensit.  
716 Tempore non homines tantummodo luximus illo,  
717 mite genus ; planxere ferae, planxere volucres  
718 maesta comas nullis excussit flatibus arbor.  
719 Maesta cavis gemuit plorabile rupibus Echo.  
720 Ipsa dolor tetigit caelestia, fletibus auctum  
721 vix ripae tenere Padum ; nec largius umquam  
722 gemmea populei lacrimarunt succina trunci.  
723 Orphea ab Elysiis remeasse elementa putabant  
724 vallibus, et nuptae mortem deflere secundam.  
725 Inachiae vero tibi tanta peritia linguae,  
726 ut sacer haud alio traduci interprete malit  
727 Plutarchus, chartis nec plus se agnoscat in ullis,  
728 ambiguus patrione magis sermone nitescat,  
729 sive rudimentis pueriles instruit annos,  
730 sive alterna ducum committit facta priorum.  
731 Iste tamen juveni dederat praeludia quondam,  
732 majorem natu magnus nunc Strabo fatigat,  
733 Pontificis fummi jussu. Quae gaudia pubis  
734 Pieriae, cum jam supremum rasmus ad unguem,  
735 cedron olens, minio rutilans, et pumice laevis  
736 servantis tandem loculos evaserit arcae ?  
737 Felices annos, felicia nostra profecto  
738 tempora ! Quis tantum duce te cognoscere primis

739 auctorem licuit ; quo non diffusius alter  
740 explicat, inclusum Neptunus ut ambiat orbem.  
741 Quo de fonte ruant medias dirimentia terras  
742 aequora, vicinis quaenam discrimina regnis,  
743 qui passim populi, silvae, juga, flumina, portus,  
744 oppida ; quo quaevis fluitet circumsona ponto  
745 insula, distantum quae sit mensura locorum.  
746 O qui nosse cupis quicquid de Tethyos undis  
747 eminent, Alcides quantum vel Liber obivit ;  
748 hoc lege creber opus. Brumales haec tibi somnos  
749 contrahat, et multum, membrana, absumat olivum.  
750 Quodsi Cecropiis non summus in artibus esses,  
751 primus eras ; reliqui vel te didicere magistro,  
752 aut in discendo tua sunt exempla secuti.  
753 Praecepta et multis tribuisti, exordia cunctis,  
754 nec quisquam norat Cadmea elementa Latinus  
755 ante tuum in Thracas felix iter ; at modo nemo  
756 jam Sicyona petat, fabricatricemve Corinthon,  
757 en habet in mediis, illud quod quaerit, Etruscis,  
758 Italia ut per te major sit Graecia rursus,  
759 ac redocere rudes sua dogmata possit Achivos.  
760 Ergo quae reliquis contingunt singula, solus  
761 juncta tenes, et plena datur tibi summa bonorum,  
762 sunt qui scripta animo penetrant aliena sagaci,  
763 ipsi nulla queunt inopi deducere vena.  
764 In latebris aliqui non sane vilia cudunt,  
765 sed coram densis nil hiscere coetibus audent.  
766 His Latia claris lingua deest Graia facultas,  
767 vel si forfan adest ; non sic ut vertere possint.  
768 In te concurrunt simul omnia, nec prior ullus  
769 auctorum arcanas penitus deprendere mentes,  
770 reddere Romana Danaum gravitate leporem,  
771 dicere vel nexa pedibus, vel voce soluta.  
772 Quae duo vix umquam tribuit Caducifer uni.  
773 Vatibus et cum sit vel simplicis ardua metri  
774 gloria ; tu pariter quaevis in carmina promptus,  
775 nunc gravis Heroo graderis, modo curris iambo,  
776 nunc tristes Elegos, modo laeta anapaestica ludis.  
777 Quidam nil aliis tradunt, cum plurima norint,  
778 seu livore aliquo, seu quae sit norma docendi,  
779 ignorant, fugiunt seu taedia dura laborum.  
780 Haec tua praecipue laus est. Quippe haud tibi credis  
781 te soli genitum, sed toti protinus orbi.  
782 Viventes hinc ore mones, per scripta futuros,  
783 ut jam uni triplex aequae tibi debeat aetas ;  
784 praeterita, extinctos veterum quod reddis honores,  
785 postera, quod calamo, praesens, quod voce laboras.  
786 Pro quibus officiis, doctorum jure virorum  
787 te chorus omnis amat, reveretur, laudibus ornat.  
788 Tu pater et princeps, tu censor et arbiter illis,  
789 si quando dubiis discors sententia pugnat  
790 judiciis ; fastu nec sic tumet ullus inani,  
791 ut non esse tibi se praedicet ipse secundum.  
792 Tres te Aretini, Lusci duo, Poggius unus,  
793 suspiciunt pariter ; quamvis laudatus ab illo  
794 Scipio, Caesareis, te vindice, cesserit actis.  
795 Te Victorinus veneratur, et ipse Philelfus,  
796 Sfortia qui laxis cecinit modo proelia nervis.

797 Rupibus et sparsos decorans Vergerius Histros.  
798 Te placidi vates, Clarium ceu numen, adorant,  
799 te colit et tantis e millibus approbat unum,  
800 nec tua dicta umquam stellis verubusve notavit,  
801 corrector veterum, contemptor Valla novorum.  
802 Me tamen haudquaquam tua tam facundia praestans,  
803 quam perfecta movet virtus, et desino linguam  
804 mirari nimium, quoties considero vitam.  
805 Eximium quamvis, adeo sanctissima vincit  
806 eloquium probitas, et cedunt moribus artes.  
807 At bona pars vitiis animi, decus oris opimi  
808 inquinat, et quantum doctrinae luce refulget,  
809 tantum criminibus sordet polluta nefandis.  
810 Prima tibi est semper magnorum cura deorum,  
811 quos te prae cunctis mortalibus unice amantes,  
812 aequali pietate colis, mox ipse colendus  
813 proxime post Superos hominum, quos rite ferino  
814 aevum agitare vetas ; quos ore et corde politos  
815 ac vere facis esse homines ; quin morte subacta  
816 vincere fata doces, et iter super aethera monstras.  
817 Nec te umquam trepidae rapuit ruber impetus irae.  
818 Quin etiam dentes passus Livoris iniqui,  
819 carpentum numquam potuisti carpere mores.  
820 Nec tua in alterius valuit facundia famam,  
821 Ausoniis hodie vitium commune disertis.  
822 Sed semper facies hilaris tibi, mixta lepori  
823 semper inest gravitas, ac mitis ruga severae  
824 frontis, et in laeto non dura modestia vultu.  
825 Inter discipulos et caros inter amicos,  
826 jucundi sine felle sales, et melle faceto  
827 conditi ; nec rus sapiunt tua dicta, sed urbem.  
828 Qualia Cecropiis olim sonuere theatris,  
829 quae doctus magni praeferret Tiro patroni  
830 lusibus, et prompti mallent strinxisse Lacones.  
831 Haud tamen idcirco tibi disciplina tuorum  
832 laxior ; horrescit rigidos domus intima frenos,  
833 ac famuli dominum, nati novere parentem,  
834 quos tu temperie tali moderaris, ut illos  
835 non premat asperitas, non indulgentia solvat.  
836 Hinc animis vigor et probitas, hinc pectora sacris  
837 culta Deo studiis, et ne morer, omnia patris.  
838 Sed longe ante alios minimus de stirpe virili  
839 eminent, et fratres tantum Baptista verendos  
840 antevenit, quantum reliquis intermicat astris  
841 Sirius, aut versans plastrum glaciale Bootes.  
842 Jam cathedram doctor, jam scandere pulpita rhetor  
843 audet, et intentas fando suspendere mentes.  
844 Plausibus exsultant aedes aut templa deorum,  
845 dum favet et juvenem laudatrix contio flammat.  
846 At tibi praedulces rumpunt pia gaudia fletus.  
847 Non secus ad patrum carmen gentile Caystrum,  
848 cum tener edidicit defecti pullus oloris,  
849 tentat et ipse modos, nec jam genitore canoro  
850 deteriora crepat ; tum protinus agmine denso  
851 mirantum saeptus volucrum, candentibus alis  
852 tollitur, et dominum quaerit super aethera Phoebum.  
853 Ille volat, pulsae resonant modulamine nubes.  
854 Sed nec munificum quisquam neget esse, quod amplas

855       haud dispergis opes, contentus et ipse pusillo.  
856       Quod non ulla tuo fremitant spectacula sumptu,  
857       nec Paron imminuunt tecturae sidera moles.  
858       Quod tua plaudentem non pascunt horrea vulgum,  
859       nec populare pluit rapiendos missile nummos,  
860       non ideo non tu longe diffusior illis  
861       quos tam vana juvant. Donis meliora caducis  
862       te tribuente tui capiunt, Guarine, clientes,  
863       quae saturent avidas indeficientia mentes,  
864       nec senio valeant aboleri, aut fulmine frangi ;  
865       ad furum secreta dolos et tela latronum.  
866       Haec tu dispensas, haec tu partiris in omnes,  
867       tam justa trutina, nulli ut sua portio desit,  
868       sed referat quivis quantum capit arca cerebri,  
869       tam tenui pretio nemo ut non solvere possit.  
870       Multi quippe tibi nulla mercede docentur,  
871       omnes exigua ; quamquam quae digna Camenis  
872       pensio ? Quis totum virtuti aequaverit aurum,  
873       quod Scythia, quod Bessus, quod Arabs, quod congerit Astur ?  
874       Quid memorem parcae frugalia fercula mensae ?  
875       Ingenium simul et nervos laedentia puris  
876       vina domas lymphis ; ac sola more vetusto  
877       contentus cena, vix umquam prandia nosti.  
878       Quae tibi sobrietas hos plane contulit annos,  
879       ut jam bis decimi tangens confinia lustris,  
880       non pede, non oculo, non sensu debilis ullo,  
881       purpureum clara serves cum voce colorem.  
882       Vive, precor, quantum non ipse Gerenius heros,  
883       quantum non Phoebi volucris rediviva ; nec hausto  
884       pulvere mensa suam virgo Cumaea senectam.  
885       Vel potius gravior quoties accesserit aetas,  
886       vernantem primo reddat tibi flore juventam  
887       diva ministratrix aeterni nectaris Hebe.  
888       Nec te prae nostro capiat, pater inclyte, mundo,  
889       Elysiumve nemus, vel caeli tertius orbis,  
890       qua rarus visu Cyllenes errat alumnus.  
891       Sed sis perpetuus studiorum praesul, et istis  
892       mersarum in tenebris animarum publica lampas.  
893       Dum servant elementa fidem, dum sidera currunt,  
894       haec studia, hic omnes vitae tibi cursus in annos,  
895       haec clara humanum merita in genus ; inde per orbem  
896       victurum, mundi dum stabit machina, nomen.  
897       Salve, magne parens, cunctis decus addite saeculis,  
898       optime doctorum, doctissime salve bonorum.  
899       Salve instaurator Latiae, revocator Achivae  
900       Pallados ; ipsa tuis titulis Evandria mater  
901       cesserit, Arcadio vates afflata Lyceo.  
902       Illa bis octonas Latio intulit hospita formas,  
903       quas quondam Tyrius Graiis monstraverat exsul ;  
904       tu quicquid veterum dederat solertia patrum,  
905       reddis, et in lucem longa e caligine promis.  
906       Qui nisi prostratas relevasses funditus artes,  
907       priscorum vanus staret labor. Alta Quirinus  
908       fundavit Romae, reparavit regna Camillus ;  
909       sed tantum ambobus major tua gloria, quantum  
910       cedunt arma togae, concedit laurea linguae.  
911       Nec quemquam proferre potest spatiosa vetustas,  
912       qui plus praestiterit populis. Tirynthius heros

913 pestiferis terras purgabat et aequora monstris,  
914 ille et nigrantis custodem Cerberon Orci,  
915 tergemina totidem religatum colla catena,  
916 ostendit vivis, et sidera ferre coegit.  
917 Per te Barbaries, qua nullum Tartara monstrum  
918 taetrius ima ferunt, supera de sede fugatur  
919 eminus, et Stygias iterum gemit acta sub umbras.  
920 Immensus nil Sole gerit praestantius orbis.  
921 Sol Jovis est oculus, mens mundi, lucis origo,  
922 rerum temperies, cor caeli, spiritus aethrae,  
923 astrorum dominus, mensor revolubilis aevi,  
924 sensilium sensus, viventum vita, propago  
925 nascentum, largitor opum, largitor honorum,  
926 telluris pariter conjux fecundus et undae,  
927 fatorum rector, Deus idem summus et omnes.  
928 Phryx licet Attinem, Phoenix hunc dicat Adonin,  
929 hinc Persis Mithran, Pharos inde Serapin adoret,  
930 Pana colat Tegee, Memphis deploret Osirin ;  
931 verum Paeonia quamvis levet arte dolores,  
932 quamvis ille suis illuminet omnia flammis ;  
933 saepe tamen tristi feralia tela sinistra  
934 jactat, et obtenta radios abscondit in umbra.  
935 Saepius hiberno declivis frigore torpet,  
936 semper et obscurae jussus decedere Nocti,  
937 invidet alternam superis fulgere sororem.  
938 At tua lux animos, non segnia corpora lustrat.  
939 Nec scit defectum, nec tempore languet in ullo,  
940 noctibus et roseis simul irrestincta diebus,  
941 curat et assidue, quos fert inscitia morbos.  
942 Haud igitur sine mente quidem, sine numine Divum  
943 crediderim talem te nostra in saecula natum.  
944 Nam tua Lucinae cum jam pia vota potenti  
945 conciperet genitrix, et plenis mensibus infans  
946 viscera maturo premeres genitalia partu ;  
947 orbe procul medio, qua Pegasis ungula sacras  
948 fodit aquas, geminis et cornibus aethera rumpit  
949 Deucalioneis Parnassus inobrutus undis,  
950 maestior ad maestas Clio sic orsa sorores :  
951 "Cum bene, germanae, variantia supputo mecum  
952 tempora ; vicinus cineri nimis esse supremo  
953 mundus, et a ferro jam degenerare videtur.  
954 Nam licet in chalybem defluerit aurea quondam  
955 vita patrum ; tamen egregios vel pace vel armis,  
956 omnibus in terris late generabat alumnos.  
957 Haudquaquam nunc vis eadem mortalibus aegris ;  
958 improcera ferunt hebetes sed corpora sensus,  
959 nec longum numeri fatalis vincula durant.  
960 Interea pravi mores, perversa voluntas  
961 segnibus ingeniis ; et in actus prona nefandos  
962 spernit turba Deos, ac vana tonitrua ridet,  
963 nec putat ad Siculos sudare Pyracmona folles.  
964 Sed non ulla magis, quam nos, despecta per orbem  
965 numina ; multus adhuc Cererem veneratur arator  
966 multus adhuc spoliis bellator Martia ditat  
967 templa ; nec artificii desunt sua dona Minervae.  
968 Fulmineos dentes, ramosave cornua cernas  
969 postibus in Triviae. Neptuno littore in omni  
970 votivae pendent tabulae. Tibi mater Amoris,

971 centum vel sola fumant altaria Cypro.  
 972 At nobis jam nullus honos ; communia nusquam  
 973 Herculeis delubra focis, secretave saltem  
 974 silvarum ; et rigui, per amoena suburbia, fontes.  
 975 Hos pridem in saltus, toto velut orbe fugatae,  
 976 cessimus ; hinc etiam pellit nos barbarus hostis,  
 977 ignotos postquam Phryxea per aequora Turcos  
 978 fraterna Eoi traxit discordia regni.  
 979 Heu pietas ! Heu prisca fides ! Numquamne resurget  
 980 clara sub obscuris facundia mersa tenebris ?  
 981 Numquamne ingenuae remeabunt amplius artes ?  
 982 Quid viles nobis, genitor, pro nectare lymphas,  
 983 quid caeli pro luce dabas horrentia Tempe ?  
 984 Quas modo sacrilegus tentet violare Pyreneus,  
 985 nunc inhonora vocent raucae in certamina picae.  
 986 Jam tandem emeritis requiem, justissime Divum,  
 987 ac pacem largire poli. Quo dignior astris  
 988 Erigone ? Et nitidi bis septem lumina tauri ?  
 989 Sin minus, immitis patruum regna atra petemus,  
 990 qua soror infernos servat Proserpina lucos,  
 991 inter et Elysias veterum spatiabimur umbras  
 992 cultorum exsanguis, sine voce et corpore vultus,  
 993 nulla adeo in vivis si jam solacia restant.  
 994 Talia dum queritur, procul aspexit Arcada fratrem,  
 995 caerulea praepetibus scindentem nubila plantis.  
 996 Ille ut Cirrhaeo paulisper colle resedit,  
 997 Castalios latices invisit et antra dearum.  
 998 Non illis citharae, nonserta virentia cordi,  
 999 plectra silent, disjecta solo crinalia marcent.  
 1000 Ergo ubi sive ultro (nam quid non sentiat Hermes ?)  
 1001 Agnovit causas, seu forte doctentibus ipsis ;  
 1002 cognatum tali solatur voce dolorem :  
 1003 "Solvite tristitiam, luctus removete, sorores,  
 1004 gaudia certa fero. Nam cum modo forte recentes  
 1005 a bustis animas, pallentem duco sub Orcum,  
 1006 ast alias iterum post lustra ducenta reduco  
 1007 ad superos, et bina frequens per limina curro,  
 1008 vidi exsultantes gemina de gente disertos  
 1009 tot veterum manes ; quod jam meliora redirent  
 1010 tempora, cum studiis florerent omnia priscis,  
 1011 vidi secreto, vasta in convalle, recessu,  
 1012 cum Genio et Vita Parcas, et Morte sedentem.  
 1013 E quibus una retroflexa cervice silebat,  
 1014 altera perspicuum speculi intendebat in orbem,  
 1015 tertia prospectu lustrabat inane barathrum.  
 1016 Ducere cum subito varias coepere choreas,  
 1017 Atropos in zephyrum vestigia movit ab euro,  
 1018 simpliciore gradu ; cui protinus obvia Clotho,  
 1019 multiplici torsit septena volumina gyro,  
 1020 ambabus similes Lachesis dedit ultima gestus.  
 1021 Tunc has divino sanxerunt carmine sortes,  
 1022 candida inauratis volventes licia fuis  
 1023 quanta fuit, magnus Romam dum Augustus habebat,  
 1024 tanta per Europam doctorum turba redundet.  
 1025 Tu vero Oenotriis puer olim debite terris,  
 1026 nascere, tantorum princeps et causa bonorum.  
 1027 Per te facundas, jamdudum muta, loquelas  
 1028 ora dabunt hominum ; tu vitae mortua reddes

1029 nomina ; tu nati revocabis ad oscula matrem  
 1030 nascere. Sic rerum leges, sic Jupiter urget.  
 1031 Haec cecinere deae. Voces Natura dearum  
 1032 ferreis in tabulis adamante notavit acuto.  
 1033 Nonne vides eadem totus portendat ut aether,  
 1034 Uraniae numeris sibi respondentia faustis ?  
 1035 Quam bene fatorum concordant sidera pensis !  
 1036 Quare age, deterso maeroris surgite laetos  
 1037 squalore ad thiasos ; juvet in paeana canorum  
 1038 contentas rupisse fides. Tibi tibia fletur  
 1039 Euterpe, et biforis Tritonia fistula buxi.  
 1040 Argutos digitis, Erato tu, percute nervos.  
 1041 Tu grave Melpomene, tu molle, Thalia, sonato.  
 1042 Omnia Calliope concentu temperet uno.  
 1043 Nunc et Pirene, nunc et Libethrides undae  
 1044 ambrosia scateant ; lactis Permessia rivos  
 1045 ripa det, Aoniae revirescant largius umbrae.  
 1046 Quodsi, quae tanto decoretur germine tellus,  
 1047 nosse ferunt animi ; non longa ambage docebo :  
 1048 urbs est Vindelicas qua plana assurgit in Alpes  
 1049 Italia, et patulos Athesis vagus exit in agros,  
 1050 Verona, auctorem referens cognomine Brennum.  
 1051 Dividit hanc fluvijs, sed ruptum ponte quaterno  
 1052 continuatur iter ; medio sublime theatrum  
 1053 eminent, et longe templorum culmina vincit.  
 1054 Inde olim vestrum scitis prodisse Catullum,  
 1055 Plinius inde satus ; sed nunc venit altior illi  
 1056 gloria ; Scaligeris nec se jactaverit aequae  
 1057 regibus, et magni Canis armipotentibus actis.  
 1058 Illic jam toti reboant genialia montes  
 1059 carmina ; jam glauca praevelat arundine crinem  
 1060 Mincius, et vitreo gestit Benacus in antro.  
 1061 Dum modo laxatae fusum de ventre parentis,  
 1062 ipsa liquore sacro fovet Ilithyia Guarinum.  
 1063 Fasciola ligat ipsa manus et crura nitenti.  
 1064 Audio Maenalia salientes Pana cicuta,  
 1065 hortantem Satyros ; plenis et flore canistris,  
 1066 ludentes video circum cunabula Nymphas.  
 1067 Vos mora lenta tenet, nunc o nunc ite citatis  
 1068 gressibus, et cupidis ereptum auferte Napaeis.  
 1069 Velate aereo nimbi rutilantis amictu.  
 1070 Quis Charitum gremiis, vestro quis dignior infans  
 1071 ubere ? Hyanteos jam nunc sine reptet ad amnes  
 1072 parvulus, et Phoebo velit advagire canenti."  
 1073 Sic ait, et dictis parent Heliconides ultro.

PANEGYRICUS, AD JACOBUM ANTONIUM MARCELLUM VENETUM.

PRAEFATIO.

H\_2A v.1 Cantantem umbroso pueris Silenon in antro,  
 2 rustica dum Veneti vatis avena sonat ;  
 3 "Ingenium quid, ait, tractando vilia, perdis ?  
 4 Maecenas Tusco stemmate clarus eques.  
 5 Quamve tibi famam Meliboei flebile carmen  
 6 afferet ? Infelix aut Corydonis amor ?

7 Pastorumve bonus lites sedare Palaemon ?  
 8 Vel modo qui nato riserat ore puer ?  
 9 Illatusve polo, residensve sub ilice Daphnis ?  
 10 Vel quorum lynces obstupere modis ?  
 11 Anxius aut Moeris ? Flagransve cupidine Gallus ?  
 12 Jam tibi, ut haec ludis, quanta recurrit hiems.  
 13 An te Musa ideo forsitan delectat agrestis,  
 14 reddidit ereptos quod tibi Caesar agros ?  
 15 Caesar agris majora dabit, si proelia dicas  
 16 Actia ; pro calamis sume poeta tubam.  
 17 Duc age Dardanias, Lavina ad litora, classes,  
 18 sacra Dionaei concine bella ducis.  
 19 Albana et laeto fundantem moenia Julum  
 20 omine ; quo manat Julia fonte domus."  
 21 Finierat monitus. Placuit sententia vati,  
 22 paruit, et silvis praetulit Arma virum.  
 23 Nunc ego si divi sequar alta exempla Maronis,  
 24 temporibus nostris quis mihi Caesar erit ?  
 25 Nempe togatorum generosus stirpe Quiritum  
 26 Marcellus, Venetae firma columna rei.  
 27 Seu facta inspicio, factis non clarior alrer,  
 28 seu merita ; officiis haud prior ullus adest.  
 29 Ille meis primum Musis impendit honorem,  
 30 non qualem ficto quilibet ore solet.  
 31 Ille brevem fecit late discurrere famam,  
 32 illius hospitium nostra refecta fames.  
 33 Hunc igitur patri jungent mea pectra Guarino,  
 34 dignus et ille suo, dignus et iste, loco.  
 35 Jure fuit primus, tribuit qui carmina nobis,  
 36 qui favit studiis, jure secundus erit.  
 37 At vos, Cecropia propter quos arce relicta,  
 38 maluit Euganea Pallas in urbe coli ;  
 39 Tam triplicis Sophiae, gemini quam juris alumni,  
 40 este, precor, nostris, turba benigna, sonis.  
 41 Nuper laeta meae plaussit Ferraria cannae,  
 42 auribus en vestris nunc graviora damus.  
 43 Quorum non meruit si barbara Musa favores,  
 44 is meruit, grata quem crepat illa lyra.  
 45 Hic nam Marcello fecundi praedia ruris,  
 46 hic Lare natali plus habitata domus.  
 47 Hinc dulcis nurus, et longe dulcissima conjux,  
 48 haec materna suis patria pignoribus,  
 49 non minus ut Veneto possit Patavinus haberi,  
 50 tot vobis illum, vos sibi vincla ligant.  
 51 Ergo huic praestetur, nobis quod sorte negatur,  
 52 materia incomptum saepe tuetur opus.

## PANEGYRIS.

H\_2B v.1 Solus populea projectus nuper in umbra,  
 2 Eridani ad ripas, argutos inter olores,  
 3 Pierios tacito meditabar pectore rhythmos,  
 4 cum subito assistens, posita sic aegide, Pallas.  
 5 "Quod tibi Thespiadum, juvenis, pia cura, sororum  
 6 in numeros aptatur opus ? Quos nectere tentas  
 7 metrorum sub jura pedes ? Iterumne Guarini  
 8 ludere vis ludum ? Vel te pastoria forsant

9 has inter potius delectant sibila silvas ?  
 10 Lascivive placent Elegi, aut jurgator Iambus ?  
 11 An tardus Scazon ? Veterisve undena Phalaeci  
 12 syllaba, dulce jocis spargens epigramma facetis ?  
 13 Desere jam tandem pueriles desere lusus,  
 14 ac, si fama tibi, viridis si laurea cordi,  
 15 magna ordire animis. Inopi quid stringere terras  
 16 lintre juvat ? Medio da grandia vela profundo.  
 17 Illa paludosis procul errans cymba lacunis  
 18 paene vacat ; pretiosa vehit miracula pinus,  
 19 quae lato venit ecce mari. Cum laeta coronis  
 20 attigerit portus, et arenas dente trisulco  
 21 fixerit, o quanto resonabunt litora plausu !  
 22 Ingenio vires et vatibus addere nomen  
 23 materies excelsa potest. Licet ipse vetustos  
 24 contemplere patres ; nullus nisi nobile demum  
 25 quod caneret, selegit opus. Praeclara sonantur  
 26 uberius ; nequeunt splendescere vilia rerum,  
 27 aut aegre perculata, negant tamen edere fructus,  
 28 quos petitis sacri, gens ambitiosa, poetae.  
 29 Carmine Trojano, non Ranis vivit Homerus.  
 30 Nec rudibus Silvis, Thebis et Achille perennes  
 31 Stadius emeruit titulos. Aeterna Maronis  
 32 gloria, non Culicis nugae, fera proelia Turni.  
 33 Tu simul ut sublatus humo per multa virorum  
 34 ora voles, levibus ne jam amplius instrepe chordis,  
 35 nec calamos, plenis sed classica faucibus infla.  
 36 Ire nec in senium, canive evolvere retro  
 37 te saeculi monumenta velim ; qui prisca retexit,  
 38 acta agit, et medio praefert Hyperione lychnum.  
 39 Quis Trojam et Thebas, Lacedaemona nescit et Argos ?  
 40 Persea vel caelo nantem, vel Jasona ponto ?  
 41 Qua non in scaena malus insanivit Orestes ?  
 42 Cenavit Tereus ? Erravit Agenore natus ?  
 43 Pulpita Tantaleis cui non detrita cothurnis ?  
 44 Quis non Herculeo suspendit sidera collo ?  
 45 Thesea quis tacuit ? Quo non memoranre volavit  
 46 axe Pelops, planta Hippomenes, et Daedalus alis ?  
 47 Adde quod ingrati subeas et crimen iniqui,  
 48 si vetera amplexus damnes praesentia, et uno  
 49 invidias vivis titulos, exempla futuris,  
 50 haud aliter dignum venia, quam tempora clarum  
 51 si tua nil habeant ; sed quae resplenduit aetas  
 52 vel bello vel pace magis ? Revocasset in aurum  
 53 Jupiter, et toto purgasset saecula ferro,  
 54 ipsa ego Saturni si non exosa veternum,  
 55 ingeniis hominum penitus rubigine tersa,  
 56 limassem segnes animos, et tempore longo,  
 57 pigra per artifices acuissem pectora curas.  
 58 Hinc tot castra ducum, tot nostras cernis Athenas ;  
 59 nunc nova proferri, nunc antiquata novari.  
 60 Pellaei ut regis possint, vel Caesaris aevo  
 61 jam vestri certare dies ; sic cultibus aequis  
 62 vita nitet, mentes sic excitat aemula virtus.  
 63 Quid tibi nunc artes recitem, mea dona, magistras ?  
 64 Seu fabricanda ratis veniat, seu machina belli,  
 65 centum Argos, totidem reperire licebit Epeos.  
 66 Hippolytus rapiatur equis ; Chironis alumnum

67 inveniet Phoebe. Placeant simulacra Tonanti ;  
68 Phidiaca insignis jam majestate nitebit.  
69 Tota velit pingi Paphie ; procedet Apelles.  
70 Si Tyrus et Sidon, si concidit alta Corinthus,  
71 aera tamen spirant, nec purpura segnius ardet.  
72 Adspice per terras, pulsantes aethera moles ;  
73 cedit Cressa domus, Babylonis moenia cedunt,  
74 quod Salomon templum, peltata aut struxit Amazon,  
75 Pyramides, junctis et Mausolea Colossis.  
76 Adspice sulcantes Neptunia caerulea classes,  
77 turrigeras arces, aut Cycladas ire profundo  
78 credideris ; tanto malus stat vertice, tantus  
79 remorum numerus, tantum se carbasa pandunt.  
80 Nobiliora vocant ; quae mecum Phoebus et Arcas,  
81 curat, et Aoniae, caelestia plectra, sorores.  
82 Nam qui tot videre Linos, tot Arionis anni ?  
83 Quando Castalias carpsere tot agmina lauros ?  
84 Ipsae tantorum siccatae in pocula vatum,  
85 Pegasides tenui manant jam gurgite lymphae.  
86 Nec desunt cultis quos illi versibus ornet  
87 (hoc modo praecipue studium revirescere coepit.)  
88 Martia turba, duces, et gaudens sanguine miles.  
89 Ferrum celat equos, ferrum fessoribus ipsis  
90 est tegimen, ferrum totos farcitur in artus.  
91 Nonne vides, veterum renovato ut more Quiritum,  
92 jam vallum fossa metator, et aggere cingat ?  
93 Excubiis simul et stationibus omnia servet ?  
94 Et paribus quadret legio distincta manipulis ?  
95 Excurrant alae ? Solidentur robore frontes ?  
96 Cornua promineant ? Secedat inutile vulgus ?  
97 Ultima subsidiis, firmentur terga, repostis ?  
98 Eminus et primum telis, mox cominus acri  
99 pugnetur gladio ? Murum si frangere tempus,  
100 non aries, non testudo, non vinea solum  
101 vecta rotis, aut turris adest ; ignota vetustis,  
102 nec nisi de caeli nebulis consueta timeri,  
103 saxea de caveis prorumpunt fulmina aenis.  
104 Quare age, cum pleno sese tibi Copia cornu  
105 offerat, et tantis aliquid desume canendum.  
106 Neve tua aequaevis desit facundia rebus.  
107 Sed quamvis trifidus florescat gentibus orbis,  
108 urbibus et gentes vigeant, et civibus urbes,  
109 nulla tamen regio est quam tu componere possis  
110 felici Italiae, seu glebae fertilis uber,  
111 seu fortem mirere situm, seu farta beatis  
112 oppida divitiis, seu splendida jura virorum.  
113 Hesperias vero longe supereminet urbes  
114 haec, quam non muris clausam, sed Syrte vadosa,  
115 intimus extremo circumtonat Hadria fluctu.  
116 Conditor huic nemo ; terrarum cladibus ortum  
117 debet, et est ingens alienis facta ruinis.  
118 Nil reliquis commune gerens ; fundamina tectis  
119 non sicco stant fixa solo ; sed desuper altas  
120 vecturus moles subter freta texitur agger.  
121 Haud mora, qua vituli nuper jacuere marini,  
122 qua modo delphines volucris lusere natatu,  
123 insula se tollit, veluti Latonia Delos,  
124 dispulsis subito celsum caput extulit undis.

125 Nec quia de multis corpus concrevit in unum,  
126 dissidet ipsa sibi ; nulli concordia major,  
127 nec tam longa quies, nec par reverentia legum.  
128 Non famulam plebem dominatrix durius urget  
129 nobilitas ; non plebs regni consortia raptans,  
130 patribus insultat, placidi quam docta sequestri  
131 fabula conciliet, vel ademptus fascibus horror.  
132 Hinc sua millenos indelibata per annos  
133 succubuit nullis Libertas virgo tyrannis.  
134 Hinc miti dicione tenet, quod Creta recedit  
135 Alpibus, Haemonio quod distat Larius Hebro.  
136 Hinc super Oceanum, super et mare cognita rubrum,  
137 suscipit et reddit toto commercia mundo.  
138 Hujus patricias tantum Marcella propago  
139 exsuperat stirpes, quanto discrimine praestat  
140 sideribus Titan, Dis Jupiter, amnibus aequor.  
141 Maurocena licet numero sit laeta suorum,  
142 Contarena potens opibus se jactet opimis,  
143 alta Trivisanam juris doctrina decoret,  
144 Foscara consiliis, cultu Justina loquendi  
145 fulgeat ; aeternae tulerint praeconia famae  
146 Pisana aequoreis, et Lauretana tropaeis.  
147 Verum quae reliquas partitis singula lustrant  
148 dotibus, huic uno pariter cumulantur acervo.  
149 Sed nec Marcella de gente illustrior ullus,  
150 quam claris Jacobus adest Antonius actis,  
151 plenam virtutum complexus pectore summam.  
152 Cui si Romulidum studeas opponere laudes,  
153 non erit integrior Curius, constantior illo  
154 maximus, Idaei melior nec numinis hospes.  
155 Regulus aut fidei, Cato vel servantior aequi.  
156 Sin Graios aequare pares ; concesserit uni  
157 Miltiades animis, Cimon pietate, Pericles  
158 consiliis, probitate Solon, gravitate Lycurgus.  
159 Celsa Ducis facies, et honorae gratia formae,  
160 afflarat Phrygio qualem nec Cypria nato,  
161 pridem nota tibi, dum vatem magnus egenum  
162 hospitio toties Heros fovet, ac vice justa,  
163 excipiunt humilem Tirynthia regna Molorchum.  
164 Quin etsi numquam visus tibi forte fuisset,  
165 obvius in media poterat notescere turba,  
166 tantus in ore decor, tanto super agmina surgit  
167 vertice, tam passim digito monstratur ab omni  
168 augusta effigies ; multum cui ponderis addit  
169 canities, nigro parce intermixta capillo.  
170 Quodsi facta viri, cunctos celeberrima quamquam  
171 per populos, nondum locuples tibi prodidit auctor,  
172 humanis si certa magis rumoribus optas ;  
173 accipe veraci veram dictante Minerva  
174 historiam, caelo dubita neu credere testi.  
175 Sed calamum niveis jam nunc memor imprime chartis.  
176 Hunc ego materno rapui nam sedula parvum  
177 de gremio ; calida mox accedente juvena,  
178 in bivio vitae dubium, vitare sinistros  
179 commonui anfractus ; aditu qua subdola blando  
180 ridet, et incautos praeceps via mergit ephebos.  
181 Parult, et dextro super ardua calle tetendit  
182 me praeunte sequens, nec terruit asper euntem

183 limes, et angusti scruposa exordia rami.  
 184 Ex illo quos non subiit, me teste, labores ?  
 185 Quis sese expediit non, me auxiliante, periclis ?  
 186 Hostili quoties fessum jam strage, refeci  
 187 viribus occultis ? Quoties tela inter et enses  
 188 texi, et Gorgoneos praetendi impune cerastas ?  
 189 Dilectus nec me talem sibi sensit Ulixes,  
 190 per mare, per terras, lustris mea cura quaternis.  
 191 Bina expertus et hic elementa, sed ordine verso,  
 192 nec simili studio. Tellus praestruxit Ulixen  
 193 fluctibus ; aeratis durata hic brachia tonsis  
 194 contulit ad frenos, et equo post transtra resedit.  
 195 Quid ? Quod jactari ventis, huic lusus, at illi  
 196 poena fuit ; quid ? Quod castra ille coactus adivit,  
 197 hic et inaccitus, nedum indepremsus ab ullo.  
 198 Tam melior terra, quam fortunatior undis  
 199 Neritio, et plus quam Smyrnaeo carmine dignus.  
 200 Tempus erat, roseas, tenero cum vellere, malas  
 201 vestit, et oblectat trepidos lanugo parentes ;  
 202 nocte una stratis, secum haec Marcellus, in altis,  
 203 suspiciens patula, mediam te Luna, fenestra :  
 204 "Mene ultra in patriis torpere penatibus, inquit,  
 205 nescio quos apices discentem et femina vocum ?  
 206 Nec mores hominum potius cognoscere et urbes ?  
 207 Virtutem et, toto latitantem quaerere mundo ?  
 208 Jam certe positus, amicit me purpura, bullis.  
 209 Jam sparsae periere nuces ; minor eruta Pyrrhus  
 210 Pergama diripuit, protexit Scipio patrem.  
 211 Nec me major erat, meruit cum nomina Magni  
 212 Pompeius, nec cum Macedon irrupit in orbem  
 213 ultima thyrsigeri calcans vestigia Bacchi.  
 214 Ast ego desidia quales, heu ! Perdo lacertos,  
 215 quam belle opperior senium, moriturus et ipsis  
 216 laudibus ! Et quisquam Romano sanguine cretum  
 217 praedicat ? Aut spoliis haeredem adscribit opimis ?  
 218 Forsitan et quiddam promittant somnia magnum,  
 219 haud spernenda nimis ; siquidem ab Jove noctis imago,  
 220 nam modo per pontum gemino Tritone videbar  
 221 gestari, et leves conchis avellere gemmas.  
 222 Cum subito ad patrias converso lumine sedes,  
 223 aurea prospicio divi fastigia Marci  
 224 nutare, ingentem jamjam tractura ruinam.  
 225 Accurri, et certo confestim a Numine jussus,  
 226 (hoc ego Numen eram) titubantia tecta levavi  
 227 suppositis nitens humeris ; stetit ardua turris  
 228 firmitus, et mediam sublimior impulit aethram.  
 229 Abrupere meos, spectantum gaudia, somnos.  
 230 Surgamus, nec vana Deum portenta sequamur."  
 231 His dictis, raptò propere coopertus amictu,  
 232 templa puer primo contermina visit Eoo,  
 233 multa putans animis, et cum prece fusus ad aras.  
 234 Facta ubi vota Deis, nactus Nabataea petentem  
 235 litora forte ratem, trabibus se condidit altis.  
 236 Nec prius est celeri perceptus abisse carina,  
 237 quam poma Alcinoi felicia legit in hortis,  
 238 laeva dein curvae praevectus saxa Maleae,  
 239 plena Cydoneo subducit lintea portu.  
 240 Hic quamvis aevi cupidus monumenta vetusti

241 noscere ; quo Minos sit consiliatus in antro,  
242 quas parvo latebras assignet fama Tonanti,  
243 quae fudit Titanas humus ; quibus improbus umbris  
244 Pasiphaes erravit amor ; qua turre volarit  
245 Icarus, ignoto positurus nomina ponto.  
246 Daedalei superent vestigia si qua laboris ;  
247 non tamen ille horum quicquam perquirere curat,  
248 quam prius ad tumulum supplex procumbit avitum.  
249 Quippe ibi Marcelli Pario sub marmore Petri  
250 ossa jacent ; magni quae Numinis instar adorat  
251 insula, mentitum Jovis haud venerata sepulcrum.  
252 Jure quidem ; nam thura Petro debentur et arae,  
253 qui pelago pacem, patriae qui nobile foedus  
254 restituit ; Venetis quondam sua regna carinis  
255 barbara Lagei praecluserat ira tyranni.  
256 Plurimus unde urbi quaestus, quo tota fovetur  
257 Europa, et gelidas Oriens transmigrat ad Arctos.  
258 Obsidionis erat facies, sic nulla volabant,  
259 ut prius, in lato Marci vexilla profundo.  
260 Mittitur e tantis unus, qui rupta queratur  
261 conventa, et placidis immisceat aspera verbis.  
262 Ut patuit Babylon ; tumidus fera corda Sesostris  
263 ponit, et innumero legatum munere placat.  
264 Panchaeas cumulans messes, et dentibus albis  
265 nigrantem asstipans Hebenum, ac solidantia plagas  
266 balsama, Erythraeis quicquid celatur arenis,  
267 quicquid lanigera Ser pectit ab arbore, quicquid  
268 Indica odoratis decussit simia ramis.  
269 Adjicit et cineres Hyperionis aede petitos,  
270 quos centum post lustra Deo dicat advena Phoenix.  
271 Nec mirere, viro quod tantum humana potestas  
272 praestiterit. Nitido venientem forte sub ortu,  
273 ipse salutavit, quo matrem murmure, Memnon.  
274 Solverat os ; tacitis stupuere Aegyptia sistris  
275 orgia, et amissum Memphis non planxit Osirin.  
276 Nec cataractarum fanti obstrepuere fragores.  
277 Finierat ; miti sua dicta probavit Anubis  
278 latratu, et blandis mugitibus annuit Apis.  
279 Ergo diu vacuis iterum segura patescunt  
280 aequora Marcicolis, et litore tutus Eoo.  
281 Italus Arabios mutat mercator odores.  
282 Ut cum forte ferox sortem indignatus iniquam,  
283 ipse suis Pluton furiis ardescit et altos,  
284 oppugnare parat, calcato foedere fratres,  
285 vincula terrigenum laxans centena Gigantum ;  
286 pacifico tum si Caducifer Jove missus,  
287 fatorum alleget leges adamante notatas ;  
288 ille Dei suasu rabidas moderatior iras  
289 mitiget, et nigri solvat se contio belli ;  
290 haud secus eloquio Petri composta quievit  
291 tempestas. Reduci plausissent quanta suorum  
292 gaudia ? Quas illi pensasset patria grates ?  
293 Invida sed medias abscidit Creta recursus.  
294 Marcellus meritos ut avo persolvit honores,  
295 intrat et ipse Pharon, laetis qua magnus opimat  
296 Nilus aquis caelo spectabile delta sereno.  
297 Incedit roseae, niveo candore, juventae  
298 gentibus exustis mirandus ; et hospite pulchro,

299 plus quam sole suo fuscae Mareotides ardent.  
 300 Ille nihil. Tantum gentilia monstra colentes  
 301 irridet populos ; aut cum se rettulit amnis,  
 302 surgere semianimes stupet in nova corpora glebas,  
 303 festinamve notat Casio de vertice lucem.  
 304 Aut Menelaei vestigat busta Canopi,  
 305 consulit aut nullis adstrictum Protea vinclis.  
 306 Verterat annus iter ; Berytos et alta Damascus  
 307 visuntur, sacris Libanus qua cedrifera umbris  
 308 horret, et extinctum plorat Cythereis Adonin.  
 309 Hunc Phoenices habent tractum, qui sidera primi  
 310 spectarunt, primi vocum pinxere figuras.  
 311 Primi puniceo fucarunt vellera luto,  
 312 molle ubi Sidoniis latus acclinavit in herbis,  
 313 Taurus, Agenoreos procul avecturus amores.  
 314 Annua ut hinc etiam juvenem Cynosura revexit,  
 315 non freta jam breviora juvant ; offendere crebros  
 316 paenitet in scopulos, et tam prope cernere terras.  
 317 Nec putat esse Thetin, quod litore clauditur ullo.  
 318 Proinde animis majora parat ; libet ire vel astris  
 319 longius, ac totum post terga relinquere mundum.  
 320 Alter et Oceani lateat si in fluctibus orbis  
 321 scrutari, extremas intra nec sistere Gades.  
 322 Gratus et iste labor, quamquam inclementior ortu  
 323 occasus ; non hic Syriae Meroesve calentis  
 324 deliciae ; sed Scylla vorax et avara Charybdis,  
 325 sed ferus immiti pejor Laestrygone Cyclops,  
 326 sed plena insidiis et semper amara voluptas,  
 327 quidquid et in nostrum non finxit Homerus Ulixen.  
 328 Marcellum nec dura tamen fregere, nec ullae  
 329 cepere illecebrae. Blandam Sirena reliquit  
 330 nec malo affixus, nec ceris oblitus aures.  
 331 Pocula vitavit Circes, nec Moly ferebat.  
 332 Loto pastus erat ; rediit memor ; ipsa facultas  
 333 sordebat juveni discrimina semper amanti.  
 334 Carpserat Hesperia fulvos ex arbore fetus  
 335 tristis, et indignans quod inasservata pateret  
 336 praeda sibi, et salvum mallet vigilare draconem.  
 337 Incustoditum campis errabat Iberis  
 338 armentum ; "Raperem si non impune liceret,  
 339 inquit, et obstaret triplici trux corpore pastor."  
 340 Quodsi quem laudum sitis, et fiducia dextrae  
 341 extulerat contra, tunc laeto in proelia vultu  
 342 ibat ovans ; cessere armis, cessere palaestra,  
 343 audaces in cuncta viri. Non Baeticus hastam  
 344 incola ; non aequae torsit venabula Maurus.  
 345 Saxum ingens olim nec tu, Polypheme, rotasti  
 346 tam procul ; Antaeum rursus si fata dedissent,  
 347 Gaetulum primo vicisset Marte Gigantem,  
 348 nec tangi vetuisset humum. Bonus omnia, verum  
 349 haud umquam melior, quam cum levis ense micabat  
 350 districto ; in tenui pendebant aere plantae,  
 351 nec tener ulla pedum vestigia pulvis habebat.  
 352 Splendidus at rapidis agitatus mucro lacertis,  
 353 mucro, solius fulgore notabilis umbrae,  
 354 non scuto, aut oculis poterat, non arte caveri ;  
 355 vix etiam ferro ; ferrum tetigisse putares,  
 356 in facie jam vulnus erat. Sic vibrat aeno

357 lumen aquae ; sic cum properat vaga fulmina Brontes,  
 358 scintillae absiliunt ; sic rupta tonantibus Euris,  
 359 rima per attritos diffulgurat ignea nimbos.  
 360 Sed peragamus iter. Jam Sardo et proxima Cynos,  
 361 jam minor ac major Balearis, et anguibus atris  
 362 terra nocens ; nec non Ebusi pineta virentis,  
 363 vanuerant ; Libyae propior jam Europa coibat.  
 364 Apparet surgens trans nubes eminus Atlas,  
 365 opportuna quies volventi saecula caelo.  
 366 Prospicit hic stellas, aliam considerare collo,  
 367 jam senis, ast illam, reparato robore, pronas  
 368 continuare vias ; hanc summa ad culmina anhelos  
 369 nunc primum alipedes crepitanti urgere flagello.  
 370 Apparet celsae diversa e parte columnae,  
 371 montibus excisae geminis, sive Herculis illud,  
 372 naturae seu matris opus ; quis crederet umquam  
 373 tam modico tantos immittier ore liquores ?  
 374 Nerea quis cursu fluvios superare rapaci ?  
 375 Hic ubi in adverso remos luctamine frangi  
 376 conspiciunt comites ; frustra turgentia retro  
 377 flectere vela rogant ; animos sed noster inertes  
 378 increpat, et pulso, clavum citus ipse, magistro,  
 379 corripit, ac medios secat irrevocabilis aestus.  
 380 Transierat rerum metas, et aperta ruebat  
 381 immensi jam terga maris. Quid nunc tibi diras  
 382 terrorum species, quid monstra immania fando  
 383 persequar, aequoribus non umquam cognita vestris ?  
 384 Nam Tuscum et Superum ; Dictaea et Cypria Doris,  
 385 Ionium et Syrtes, nec non Euxinus et Aegon,  
 386 quae tandem miranda ferunt ? Quod Nautilus illic  
 387 velificat ; spargit piceos quod sepia succos,  
 388 quod torpedo suum mittit per lina venenum,  
 389 piscantis vinctura manus ; affixa carinis  
 390 parva quod ingentes Echeneis detinet alnos,  
 391 quod glutit Vulpes, Scolopendra quod evomit hamum,  
 392 transfigit quod cuncta Trygo ; quod Stella perurit,  
 393 versicolor Polypus conchas quod fallit hiantes,  
 394 quod sparsis mordax foliis urtica vagatur,  
 395 Spongia quod taetros effundit secta cruores,  
 396 quod Loligo volat ; depastas ruminat algas  
 397 quod scarus ; in siccis cubat exocoetus arenis ?  
 398 Junge relucentes tranquillis saepe lucernas  
 399 noctibus, et facilem jura ad socialia pinnam.  
 400 Junge exsertantes turbato cornua ranas  
 401 limo, et praesagum boreae venientis echinum.  
 402 Isthmius his ludit per stagna Ephyraea Palaemon,  
 403 his curas Galatea levat. Marcellus et ipsas  
 404 Oceani horrendo collisas turbine vidit  
 405 Nereidas ; vidit quae nec Cepheias aequet  
 406 bellua, nec missus vota ad Theseia taurus.  
 407 Pars quota porrectae, per bis duo jugera, pristes ?  
 408 Aut formidatae balaenis grandibus orcae ?  
 409 Qualia fecundus terrarum ambitor in imis  
 410 plurima fert specubus ; quin et (mirabile dictu)  
 411 nunc rota, nunc ramosa viros exterruit arbor,  
 412 cornibus aut aries, elephas aut dente petivit.  
 413 Nunc homini assimilis pressit maris incola pinum  
 414 insidens lateri ; nunc proluit ore tremendo

415 elatus supra carchesia summa physeter.  
416 Haud magis ista tamen curat Marcellia virtus,  
417 quam juba latrantes circum Massyla molossos.  
418 Propositum nec linquit iter ; stat tendere prorsus,  
419 quantum agit aura ratem, quantum patet extima Tethys,  
420 trans zephyri fines, trans pascua Solis equorum.  
421 Ille et felices animas visurus adisset,  
422 qua Fortunatos caeli clementia campos  
423 temperat, et nullo tellus creat omnia cultu ;  
424 ni semel haec ipsum sedes aeterna maneret,  
425 post vitae mortalis onus. Nam corpore clausos  
426 Elysiis miscere nefas. Ea causa subegit  
427 dexteriora sequi ; vena qua divite profert  
428 cassiteris nitidum plumbi, non una, metallum.  
429 Lustrat circuitu, Cantabrica litora, longo,  
430 lustrat Aquitanos ; reflui simul ora Garumnae,  
431 Caesareo donec tentatos Marte Britannos,  
432 pervenit, et mundi Juverniam in calce natantem.  
433 Sol duodena citis percurrebat astra quadrigis.  
434 Non illi occiduos satis explorare recessus,  
435 quaerit et Arctos ; glaciales Orcadas ultra,  
436 ostia Rheni ultra, gelidae ultra sidera Thyles,  
437 remigio evectus ; bis sex ubi mensibus anni  
438 una dies, nox una venit ; nec jugis amoeno  
439 vere tepescit hiems. Jam pone nitebat eunti  
440 Parrhasis ; oppositum jam declinabat in austrum  
441 pronus et ille polus ; jam zonas, climata, circos,  
442 aetheris, et totum penitus transcenderat axem.  
443 Processurus adhuc, si non concreta rigerent  
444 aequora Hyperboreis Maeotidos aemula crustis.  
445 Ergo Caledonias sua carbasa rursus ad urbes  
446 torquet, ibi alterna pensat requiete laborem.  
447 Humida nox caelum sublustri obduxerat umbra,  
448 quam tu nec noctem, sed longa crepuscula dicas ;  
449 cum juveni ignaro Francisci inopina parentis  
450 offert se in somnis ac talia fatur imago :  
451 "Nate, mihi de tot longe carissime natis,  
452 te nunc extremo positum sub cardine mundi,  
453 aspectare juvat, quo mersus gurgite Titan  
454 stridat ; et Icarios propius numerare Triones.  
455 At tibi tantisper multo jacet obruta luctu  
456 tam felix paulo ante domus, tot dives alumnis.  
457 Nam mihi fecunda dederat de conjugate Phoebus  
458 sex et viginti diversae pignora sortis.  
459 E quibus, ut fruerer media vel parte meorum,  
460 bis terni juvenes, septem vixere puellae.  
461 Tot generi, tot me inde nurus, cognomine dulci  
462 dixerunt socerum, tot avum fecere nepotes.  
463 Nullus ut e Veneta jam nobilitate supersit  
464 non Marcellorum mixtus cum sanguine sanguis.  
465 Sed reliqui nostram non deseruere senectam,  
466 quos genui, et patriae pariter subiere labores.  
467 Tu minimus natu, spe maximus, avia sulcas  
468 dum vada, ceu pulsus terris ex omnibus exsul,  
469 dum Noton et Borean, Zephyrum rimaris et Eurum,  
470 immemor o nimium tanto jam tempore nostri ;  
471 interea geminas rapuit tibi dura sorores  
472 Atropos, et totidem nostro de semine fratres,

473 me simul, et crebro duplicavit funere funus,  
 474 permutans atra, genialia sarta, cupresso.  
 475 Nec pro me aut hominum quemquam, aut incuso Deorum.  
 476 Exegi longos summis in honoribus annos,  
 477 pompa triumphalis facili languore solutum  
 478 extulit, et pietas privatam publica vicit.  
 479 Unus tanta tamen pressit solacia maeror,  
 480 composuit nostros, quod non tua dextera, visus.  
 481 Quanta tibi coram dixem, si praesto fuisses ?  
 482 Quanta revelassem venturis congrua rebus ?  
 483 Quod quoniam haud licuit, per tot procul arva, tot undas,  
 484 umbra levis saltem, Jovis huc tibi numine veni.  
 485 Jam rigidus condit lustrum venerabile censor,  
 486 multivago immensum cursu metiris ut orbem,  
 487 tutus et incolumis, tamquam tibi vincla ligarint  
 488 Neptunum, et ventis impleverit Aeolus utres.  
 489 Sive tuam movit rerum prudentia mentem,  
 490 nullos non ritus populorum et jura notasti.  
 491 Mox effundendos placuit seu cogere census,  
 492 sat tua navali crevere peculia lucro.  
 493 Quocirca si qua est vel nunc tibi cura tuorum,  
 494 si prece defuncti, si jussu tangere patris ;  
 495 da reliquum patriae, da caris tempus amicis,  
 496 da consanguineis, et (cui post me omnia debes)  
 497 quam potes accelera viduatam visere matrem.  
 498 Te solum nunc illa cupit, te tota superstes  
 499 clamat, et haud aliter domus in te nixa recumbit,  
 500 quam nunc me acclinem tu sustentare videris,  
 501 casurum en subito, tua si fulcimina desint.  
 502 Jam primum infandis, hanc vexat avunculus Azo  
 503 litibus, et causis sine fine forensibus urget.  
 504 Nec dubium quin tota adimat patrimonia vobis,  
 505 ni monitus nostros memori tu pectore condas.  
 506 Stat thalami in dextro secretus pariete riscus,  
 507 scriniolum in risco nucea compage dolatum,  
 508 mille in scriniolo veteris chirographa cerae.  
 509 His tibi productis damnabitur actor iniquus.  
 510 Constitues isto cum facta domestica pacto ;  
 511 in luxum cave te, malesuada vel otia solvas,  
 512 sed fortes humeros civili subjice curae.  
 513 Orator mittendus erit ; tu curre per Alpes.  
 514 Armorum ingruerit strepitus ; sis primus in armis.  
 515 Suggestum suasor, judex conscende tribunal,  
 516 nec tibi sit quicquam patria dilectius ipsa.  
 517 Hanc ego praeposui sceptris regalibus unam,  
 518 hanc ego thesauris. Bis me Roma inclyta cepit  
 519 legatum, et toties referentem optata remisit,  
 520 ut civem complexa suum. Patriarcha regebat  
 521 Caesarei tunc frena Fori, quem saepe Senatus,  
 522 nomine de Veneris dictam rogitaverat arcem,  
 523 quo locus haud alter tutandis aptior Histris.  
 524 Postquam communes frustra videt ire precatus,  
 525 me tentare jubet. (Certo mihi foedere vinctus  
 526 ille erat) accedo. Proprium ceu postulo munus,  
 527 impetro, non unam, sed binas insuper arces,  
 528 collatis et longa fruor per tempora donis.  
 529 Post hiemes aliquot, patribus sententia sedit,  
 530 ne quisquam in terris Venetus castella teneret,

531 si qua forent intra senos haud vendita menses,  
532 publica deinde forent ; Genuam quippe ista potentem  
533 res labefactavit ; Pisas servire coegit.  
534 Hoc ubi decretum mentes concussit avaras,  
535 quis sua mox grandi bona non venumdedit auro ?  
536 Solus ego in fiscum gratis mea, Nate, redegii,  
537 tradita ne externis, nostros aliquando gravarent,  
538 nec loculos nummis, patriam sed finibus auxi,  
539 urbica privatis relevans aeraria damnis.  
540 Hinc cognata tibi virtutum exempla petantur ;  
541 haec imitare libens. Vivum simul addo magistrum.  
542 Est germanus, avi prisco tibi nomine, Petrus,  
543 nunc Antenoreae praesul castissimus urbis,  
544 paene modo Romae, dum cogit laeta verendos  
545 in coetum Basilea patres, et sancta requirit  
546 contio, quis superi claves mereatur Olympi.  
547 Hunc tu si audieris, numquam te devius error  
548 auferet in praeceps, numquam non recta sequeris.  
549 Quodsi praecipitem subigas tranquillior iram,  
550 tu Marcellus eris. Merces haud parva laborum  
551 (quam tantum affectas) veniet tibi fama perennis.  
552 Illa tamen major, luteo quod carce te liber,  
553 ingrediere pias, meritorum praemia, valles ;  
554 imperiosus ubi Torquatus, et hirta Camilli  
555 caesaries, et qui pacem tibi, Pyrrhe, negavit ;  
556 cum tribus et Deciis pauper Serranus ; ubi omnes  
557 Marcelli ; inter quos et me viridissima laurus  
558 umbrat, et aeternas melior fovet aura per herbas.  
559 Ne nullum me forte putes, neu funera vanis  
560 nostra fleas lacrimis, et mecum Numina laedas.  
561 Sed jam, Nate, vale. Mediis nam mane tenebris  
562 imminet, et saevae lucem cecinere volucres."  
563 Talia dicentem dum captat inaniter umbram,  
564 discussus motu periit sopor. Illico remos  
565 expedit, et medio suspendit lintea malo,  
566 incertum maerens, et spem formidine librans.  
567 Dexter ut a terra navim promovit Iapyx,  
568 prosiliunt alacres de fluctibus Oceaninae ;  
569 pars choreis lustrant et dulcia carmina dicunt,  
570 pars vario tristes solantur munere curas.  
571 Nec passim ramis plorata electra, vel ostrum  
572 vile ferunt ; aut quae capiti substrata Medusae,  
573 mollia saxificum traxere corallia virus,  
574 sed nullo digne pretio taxanda, nec umquam  
575 nota prius superis miracula promere certant.  
576 Forte maris domitor Saturnius ipse redibat  
577 Aethiopum a mensis ; tum largo nectare laetus  
578 sistit equos, et sic placido prior ore salutat :  
579 "O Venetum matura salus, o Romula vere  
580 progenies, casus si noscere cura futuros,  
581 bellum immane tuis, bellum, inquam, civibus instat  
582 partibus a Ligurum, quo tota Oenotria late  
583 intremet, et tanto quatentur cuncta tumultu,  
584 perfidus Ausoniis, quantum intulit Hannibal oris.  
585 Hic tibi magnarum pandit se occasio rerum,  
586 hic tua nobilibus clarescet dextera factis.  
587 Materiam virtutis habes ; fortuna theatrum  
588 quo spectere, dedit. Facies nec te ulla pericli

589 terreat, arma tibi Sicula jam sudat in Aetna  
 590 Lemnius, et Phrygio clipeum caelamine format,  
 591 sponte sua, qualem numquam Tithonia conjux,  
 592 nostra nec obtinuit Nereis supplice fletu.  
 593 Haec, ubi perstringens Liparen tibi palmula radet,  
 594 offeret ipse Deus ; sed ne caelestibus armis  
 595 par desit sonipes ; en nostrum suscipe munus.  
 596 Currite et ignipedem propius deducite Glaucum  
 597 caerulei aurigae. Viden ut per frena rubentes  
 598 inficit albenti spumarum aspergine gemmas ?  
 599 Quam bene colla levat ? Quantos flat naribus ignes ?  
 600 Nec tibi inexpertum donabimus. Huc age dorsum  
 601 scande feri, et stimulos costis Melicerta parumper  
 602 imprime, saepe ferox tua verbera sensit Arion,  
 603 tu delphine meo, celeri vel mugile pendens,  
 604 acrius per vela salis. Fugit ecce sagitta  
 605 ocior, et longe ventos post terga relinquit,  
 606 pendula nec summos libant vestigia rores.  
 607 Quin etiam vastum, rapido per inania saltu,  
 608 transabiit scopulum ; facili dein jussus habena,  
 609 ter quater exiguum, sua membra rotabit, in orbem.  
 610 Hunc tibi largimur, nostro licet ante negatum  
 611 Gradivo toties ; pro quo mihi saepe dedisset  
 612 Castor in aetheriis signatum Cyllaron astris.  
 613 Hoc residens, catulos, vitro sine, tigridis Indae  
 614 tu, licet, abripias. Hoc te Riphaea volentem  
 615 per juga, Phoebai nequeant comprehendere gryphes.  
 616 Hoc supra nubes, subter vaga sidera vectum,  
 617 Bellerophontaeae non urat flamma Chimaerae."  
 618 Dixerat, et dederat. Grates, Marcelle, parabas,  
 619 cum genitor versa postremam cuspide puppim,  
 620 impulit, Idalia non segnior illa columba,  
 621 emicat, et Venetis, dicto prius, haesit arenis.  
 622 Interea Italiam litui sonuere per omnem.  
 623 Anguiger Insubrum pollens ditione Philippus,  
 624 cuncta lacescebat furialibus improbus armis,  
 625 praecipue Venetos. Quibus in sua litora pulsus,  
 626 cetera non aegre Liguri accessura colubro  
 627 spes haud vana viro. Rapit et privatus in illos  
 628 impetus irarum. Torquet modo rapta furentem  
 629 Brixia ; tum pactis depensum pacis iniquae  
 630 Bergomon, et priscis Macalodum aequabile Cannis.  
 631 Haec ulciscendi stimulis immanibus ardens,  
 632 ductori fido, (Perusinae hic gloria gentis  
 633 Nicoleos Picininus erat) memorabile bellum  
 634 mandat et innumeras vacuat delectibus urbes.  
 635 Nec minor Adriacos tutandi cura Quirites  
 636 exacuit regni. Socio sibi foedere patrem  
 637 jungunt Eugenium, nec non te Sforcia proles,  
 638 cui servit Picens ager, conjurat in unum  
 639 Arnus, et extremi Genuae discordis alumni.  
 640 Ut super Olliacas tenui discrimine ripas,  
 641 nigri illinc angues, rutili hinc fulsere leones.  
 642 Fortior et coepit Perusinus Marte secundo,  
 643 Marcicolas urgere duces ; ac proxima portae  
 644 clausit, et excubiis firmavit Brixia muros ;  
 645 Marcellus, (quamvis nunc primum fune ligato,  
 646 vix patrio data tura Lari. Vix rapta suorum

647 oscula) solis adhuc radiis niger et maris aura,  
 648 prosilit, et celeri patriae tentoria gressu  
 649 vel privatus adit ; trabeas, vexilla, secures,  
 650 in tantis longum ratus expectare periclis,  
 651 nec civem laudans, qui non prius ista mereri,  
 652 quam gestate velit. Sed nullos curia fasces  
 653 cui dederat, praesaga ultro mox castra dederunt.  
 654 Solus et hic, tironis adhuc cum munus obiret,  
 655 praefecti suscepit onus, nec protinus omen  
 656 defuit, et primis, patuit venturus, in orsis.  
 657 Est lacus, Iseum perhibent, qua se Ollius ingens  
 658 explicat, angustis et rursus faucibus artat.  
 659 Hac invasurus Venetos erat impiger hostis.  
 660 Tutatura lacum, Marcello praeside, classis  
 661 instruitur ; venit ille ferox, transire laborat,  
 662 bis pulsus refugit ; conatu elusus inani  
 663 finitimas late tendit popularier arces.  
 664 Sed Marcellus et huc, ratibus legatur omissis,  
 665 protegat ut terras, modo qui defenderat undas.  
 666 Continuo antiquis, nova munimenta, ruinis  
 667 adjicit, et fossis vicinas diruit aedes.  
 668 Pabula per campos succendit, et, aggere rupto,  
 669 mergit inundatos, subitis torrentibus agros.  
 670 Rustica ceu steriles, stipula crepitante, novales,  
 671 urere cura solet ; placidi ceu vertice clivi  
 672 prata rigaturos sulcis deducere rivos.  
 673 Hinc Phaethonteos, Ligur hibernare coactus  
 674 trans latices ; facili servata hinc plurima damno  
 675 oppida. Restabat gelidae pars ultima brumae ;  
 676 non expectata cum coepit hirundine, pontes  
 677 injectare Pado, Picininus in omnia praeceps.  
 678 Festinum hic etiam Marcellus praevenit hostem,  
 679 cogit et a magnis vacuum discedere coeptis.  
 680 Haud aliter Fabius, cui primum vincere, pugnam  
 681 detrectare fuit ; cupidum conflagrare Poenum  
 682 cunctando longe Latiis arcebat ab oris,  
 683 nunc fronti oppositus, lateri nunc desuper altis  
 684 collibus insultans, compulsus donec in artos  
 685 anfractus, densa legionum indagine sepsit,  
 686 jam jam captivum, mira nisi fraude reperta  
 687 nocturni arsissent taurorum in cornibus ignes.  
 688 Haec tum Marcello primi praeludia Martis.  
 689 Quae gravis ut didicit, fama celebrante, Senatus  
 690 claro laudatum, sed pleno mille periclis,  
 691 praeficit officio. Locus est, vulgaria majus  
 692 turba Casale vocat. Quicquid de jure Cremonae  
 693 Eridanum citra protenditur uberis agri,  
 694 accipit hinc leges ; sed pendent tecta vetusto  
 695 quassa situ, et nulli propulsant bella paratus.  
 696 Huc Juvenem paribus, suffragia publica, votis  
 697 conjiciunt. Magicis non tam cito floruit armis  
 698 Medae cantata seges, nec tam cito tracti  
 699 pectine Thebano coiere in moenia mentes,  
 700 quam cito Marcellus putres juvenescere muros  
 701 compulit, et variis emuniit omnia telis.  
 702 Neu derivatas, fossis proclivibus, undas,  
 703 eliciant actae, per viscera caeca, cavernae,  
 704 grandia transversis innectens robora truncis.

705 Obruit ante humiles, per subterranea, ripas.  
 706 Nondum subsidiis, fuerant quae sponsa, receptis,  
 707 consummarat opus ; stellis cum quinta fugatis,  
 708 attulit et lucem simul et Pallantias hostem.  
 709 Qui per oloriferum, triginta millibus uno  
 710 transpositis Titane Padum, castella sequenti  
 711 cuncta rapit propiora die ; mox inde Casali,  
 712 applicat horrisonas, tormenta rotantia, petras.  
 713 Tum virides fossas, trabium qua nulla cavanti  
 714 compago obstiterat, cuneis exhaurit opacis.  
 715 Non tamen ante loco potitur, post multa suorum  
 716 funera, Marcellum quam bella suprema cientem,  
 717 alta superfuso, lapidum sepelivit, acervo,  
 718 diruta vix tandem per mille tonitrua turris.  
 719 Qualem jam gelidae prensantem cornua lunae  
 720 otum, discussus toto Jove texit Olympus.  
 721 Fit fragor, et longa penitus depressa ruina  
 722 urbis tecta crepant ; sonitu procul horruit ingens  
 723 Larius et summas refugus tremor impulit Alpes.  
 724 Attoniti excidio properant se dedere cives.  
 725 Ipsum pulvere laterum sub strage repertum  
 726 attollunt fidi maesto clamore sodales,  
 727 semianimem et mixtos revomentem in sanguine dentes.  
 728 Vix oculis infusa dies, et pondere vasto  
 729 fractus, anhelanti singultit pectore thorax.  
 730 Restitui pugnae tamen orat et arma reposcit,  
 731 ni circumfusum cogat desistere vulgus,  
 732 tendentem palmas et non sua vulnera flentem.  
 733 Liber abit, tanti sed pressus mole doloris,  
 734 saeva catenatus quam si inter vincla sederet.  
 735 Quid, Marcelle, gemis ? Vicisti victus, et amplum,  
 736 ista levis lucrum vestro jactura refudit  
 737 imperio. Nam dum circa te bella morantur,  
 738 tuta retro aestivas collegit Brixia messes.  
 739 Scilicet haud aliis venturam tempore tanto  
 740 auxiliis latura famem ; nec nobile fidi  
 741 aequatura decus, fato meliore, Sagunti.  
 742 An cessisse pudet ? Sic cessit prodigus alti  
 743 sanguinis Othryades ; sic ausus claudere Medis  
 744 Thermopylas ; ulti sic regia crimina Bruti.  
 745 Mucius et flammis spectatus, Cocles in undis.  
 746 Purior adversis virtus nitet ; aspera fortes  
 747 ostendunt ; numquam verum felicibus actis  
 748 fama dedit titulum. Si te tua facta remordent,  
 749 dux ea miratur Marias ; stupet Itala tellus.  
 750 Patria quam laudet, rerum mox summa probabit  
 751 auspiciis permissa tuis. I, vertice recto,  
 752 vultu hilari, magno mitescit fenore Divum  
 753 ira ; semel laesos sors deinde benignior ambit.  
 754 Tum vero ingenti Perusinus turbine ductor  
 755 regna petit Venetum. Non Ollia lympha ruentem  
 756 summovet, et centum praetentae finibus arces.  
 757 Mittitur angustis iterum succurrere rebus  
 758 Marcellus ; summi jam fultus culmine juris,  
 759 Brixia cum toto pariter cui credita bello.  
 760 Tempore ab hoc quantos pro libertate labores  
 761 primus sustulerit ; Marci quam saepe ruentes  
 762 fulserit unus opes ; si promere singula pergam,

763 ante pater longum componat Cynthius annum.  
 764 Plura alias vacui. Rerum nunc summa sequamur.  
 765 Compulerat Venetas, Cenomana in moenia, turmas  
 766 improba vis Ligurum, nec spes erat ulla salutis ;  
 767 sed simul et castris certum impendebat et urbi  
 768 mature exitium. Muris vexilla manerent ?  
 769 Pascere non poterat tam densum Brixia vulgus,  
 770 milite, cive simul, profugis et plena colonis.  
 771 Pugnarent acies ? Superabat viribus hostis.  
 772 Cetera praesidiis, exiret turba, relictis ?  
 773 Pervigil hinc Alpes, camporum hinc plana tenebat  
 774 aemulus, et medias Benaci obstruxerat undas,  
 775 ut via nec trepido cursori tuta pateret,  
 776 nedum tanta ullo possent evadere furto  
 777 millia. Marcellus tamen atrae noctis in umbra,  
 778 invia per nemorum, per acutis aspera petris  
 779 culmina, per multo valles torrente sonoras,  
 780 per varios hostes et tela minantia mortem,  
 781 aligero non vectus equo, non axe draconum,  
 782 nec Tegeaea serens nexis talaria plantis,  
 783 sed generosa pia succensus pectora flamma,  
 784 obsessam primum solus penetravit in urbem.  
 785 Confiteor, potui nebulam praetendere ituro,  
 786 ut Cytherea Phrygi ; propria nisi laude careret  
 787 his humana dolis virtus subnixa Deorum.  
 788 Inde ubi communis placuit fuga, rursus in altos  
 789 provisurus abit, simili discrimine, montes,  
 790 cui ponenda jugo, vel cui custodia ponti  
 791 esset, et insidiae qua plus a parte cavendae.  
 792 Omnibus his, sparsos per Rhaetica saxa tyrannos,  
 793 quorum ducendi fuerant per regna manipuli,  
 794 fallere majus erat, ne quid jurata Philippo  
 795 barbaries contra strueret, neu coepta vetaret.  
 796 Horum praecipuum, quem nec celare licebat,  
 797 nec vitare usquam ; miro sibi callidus astu  
 798 conciliat Paridem ; quanta non arte ligarat  
 799 Carpathium quondam, proles Phoebelia vatem.  
 800 Tum demum primo reseratis vespere portis,  
 801 educit tacitas, Picinino absente, phalanges,  
 802 nec tam incredibiles umquam metuente recessus.  
 803 Neu fraudis nomen plus quam virtutis haberet  
 804 tam clarum facinus ; caeco Fortuna periculum  
 805 miscuit effugio. Paridi nam subdita postquam  
 806 arva, retro liquere viri ; fragor horridus aures  
 807 impulit, ac toti fremuere in proelia saltus ;  
 808 saevior et numquam rediit de rupibus Echo.  
 809 Indigenae duri de summis saxa rotabant  
 810 collibus, et densa telorum nube premebant.  
 811 Accessere imbres, subitis et turbida nimbis  
 812 flumina, et assiduas inter, jejunia, pugnas.  
 813 Altera lux miseris per tales acta tumultus,  
 814 altera nox ; cum solus opem, solacia solus  
 815 tu, Marcelle, dares ; tu collaudata foveres  
 816 vulnera, tu grati praeberes pabula victus,  
 817 ingustata tibi. Vix tandem tertia tutis  
 818 defixit campis sacros aurora leones,  
 819 quingentis hominum, totidem fortassis equorum  
 820 amissis ; festas juvat inter vina choreas

821 flectere, vel dulces in caespite carpere somnos ;  
 822 aut exhaustorum seriem garrere malorum.  
 823 Marcellum haec inter memori sic voce canebant,  
 824 populea madidum crinem velante corona :  
 825 "Sancte parens, tu nos mediis e faucibus Orci  
 826 eripis, et patriam, servato milite, servas.  
 827 Quae tantis laurus, quae civica digna rependi  
 828 evaleat meritis ? Non si Daphnones Orontis,  
 829 non si tota tuos cingat Dodona capillos ;  
 830 sit satis, et sacrae ludant per tempora glandes.  
 831 Tu Cato, tu Xenophon, Scythica hic per frigora Graias  
 832 egit reliquias ; illum in fervoribus Afris,  
 833 dipsas, et innocuo basiliscus lumine fugit.  
 834 Tot tibi cesserunt scopuli, tot tela, tot amnes.  
 835 Te duce, vel Nili secretos quaerere fontes,  
 836 te duce, Sarmaticas ausim calcare pruinas.  
 837 Tu mihi, tu semper numen ; tibi vota quotannis  
 838 Martis ad armisoni, castaeva ad Palladis aras  
 839 rite feram ; seros et ferre jubebo nepotes.  
 840 Huc ades, et nostris, paulum tua seria, ludis  
 841 solve, propinati neu munera temne Falerni.  
 842 Quam tu contigeris pateram, mihi sacra manebit,  
 843 hic mihi nectar erit, quem tu libaris Iacchum."  
 844 Securae tali resonant Paeane cohortes ;  
 845 at non propterea respirat Brixia prorsus ;  
 846 sed licet infestus fossis Ligur incubet ipsis,  
 847 praesenti, vicina fames plus, hoste timetur.  
 848 Marcellus (ne qua penitus sibi parte vacillet  
 849 publica res, monitis, opus admirabile, nostris  
 850 concipit, exemplum referat cui nulla vetustas,  
 851 per colles tractam Benaco immittere classem.  
 852 Quae simul annonam saeptis, simul arma ministret,  
 853 hanc unam interea rebus superesse medelam,  
 854 dum majore manu, tepido mox vere, coacta,  
 855 infensos totis deturbent finibus angues.  
 856 Certa sed obstabant coeptis loca ; proinde refectos  
 857 ducit eo cuneos. Capitur Cornaria primum,  
 858 dura dein capitur cum Nagi Peneda Burgo.  
 859 Adduntur positae Benaci litore in ipso  
 860 Torboliae, tuta portum statione daturae.  
 861 Jam vero et naves stabant sub montibus altis,  
 862 quas ex Hadriaco susceptas aequore, multa  
 863 mole per adversas Athesis subvexerat undas.  
 864 Quamquam omnes, quis res visa aut audita, furorem  
 865 illius orsa vocent. Quin jam negat ordo fabrilis  
 866 artifices vano dextras adhibere labori,  
 867 suggerit et lente mala diffidentia, quicquid  
 868 praecipitur. Ridere hostes, miserescere amici,  
 869 improba vesanus convicia fundere livor.  
 870 Non tamen his quicquam, gravitas Marcellia, nugis  
 871 tangitur, aut ponit rumores ante salutem.  
 872 Nec mora correpta, succinctus et ipse, bipenni,  
 873 Herculeas struit ante vias. Silvestria caesis  
 874 subsidunt montana jugis. Quod demitur illinc  
 875 in subjecta cadens, valles exaequat hiulcas.  
 876 Tota loci facies alia est, genus omne ferarum  
 877 diffugit, et quaerunt habitata cubilia Fauni.  
 878 Nec sua mirantes agnoscunt lustra Napaeae.

879 Qualis Abydenam siccis ubi Dorida plantis  
 880 calcavit Xerxes ; versa praeposterus ira,  
 881 fregit Athon ; et qua jacuit leo nuper et ursus,  
 882 ignota admissis, volitant jam carbasa ponto.  
 883 Qualis et in Latium deducens Punica saevus  
 884 monstra Libys, ruptam sibi cedere compulit Alpem,  
 885 cum silices putruere rogis, et torrida flammis  
 886 saxa superfusi frigus dissolvit aceti.  
 887 Postquam indignantes, hominum vestigia, rupes  
 888 edidicere pati, longo super ardua lapsu,  
 889 ductilis impositas promovit machina puppes.  
 890 Quo non mortalis penetret solertia curae ?  
 891 Quadrata advexam tollentia robora navem  
 892 uncta volubilibus subigit vertigo cylindris ;  
 893 nec nisi velivolo solita insultare profundo,  
 894 lubrica per tumulos reptat, per tesqua triremis.  
 895 Diriguere Dei ; rerum periisse tenorem  
 896 proclamat Natura parens, ac fulmina supplex  
 897 flagitat, Ossaesa ceu rursus mole prematur  
 898 Pelion, et celsi jam vertice nixus Olympi,  
 899 sidera centeno lambat serpente Typhoeus  
 900 ni pater omnipotens Parcas testatus ab alto  
 901 soletur trepidam ; non caelo bella parari,  
 902 terrenis proprios sed gentibus esse labores,  
 903 Talia Fortuna moliri urgente coactis.  
 904 Difficilis trabibus fuit in sublime cacumen  
 905 ascensus ; gravior sed erat descensus in imum  
 906 supremo de monte lacum. Non ulla tenebant  
 907 vincula, ne vasto ruerent per prona tumultu.  
 908 Quin una abruptis effugit libera nodis,  
 909 mille simul frustrata manus ; et turbine tanto  
 910 per declive latus canum decurrit in aequor,  
 911 quanto dimissis praeceps si Phoebus habenis,  
 912 luciferas medio cum flexit ab axe quadrigas,  
 913 Tethyos Hesperiae discussis incidat undis,  
 914 totus et in spissa temo condatur arena,  
 915 elisis spumet conspersus fluctibus Atlas.  
 916 Haud secus ingenti Benacus fauce dehiscens,  
 917 numquam conspectas ostendit funditus algas.  
 918 Tauromenitanas non altius atra Charybdis  
 919 ructat aquas ; Scythicus nec sic ferit aethera Nereus,  
 920 cum gemina alternos coit Symplegas in ictus.  
 921 Frondosi maduere apices ; tum litora pulsu  
 922 icta fremunt, ac stagna vadis illisa resultant.  
 923 Naides et pavidae gremium subiere paternum,  
 924 exanimes summo fluitant in gurgite pisces.  
 925 Ipsa illaesa tamen (dictu mirabile) mansit,  
 926 me servante, ratis. Parili neu deinde ruina  
 927 exciderent reliquae, docui quo more caverent.  
 928 Forte jugum nostris late frondebat olivis,  
 929 arbore quam multa florens mihi semper Hymettus  
 930 canet, et aprici, dorsum praepingue Taburni.  
 931 His ego, mutata nulli agnoscenda figura,  
 932 stipitibus, crassos monstravi obvolvere funes,  
 933 neu valido attritu subito incandescere possent,  
 934 assidue infusis monui defendere lymphis.  
 935 Nunc etiam, facti ne non monumenta supersint,  
 936 vulnera rugosos signant immania truncos.

937 Sic tandem immissae, pelagus tenuere Liburnae.  
 938 Quas nondum campis innare liquentibus omnes,  
 939 dum putat, exactos interpellare labores  
 940 aggreditur terris frustra Picininus et undis.  
 941 Provida turrito, Marcelli industria, vallo  
 942 munierat portum, longis et cornibus actis,  
 943 ultima transversa praecluserat ora catena.  
 944 Intus inoffensas, armat plebs nautica, proras,  
 945 plurimus at vigilat per propugnacula custos.  
 946 Letiferas hic curva jacet balista sagittas,  
 947 sulfureo hic crebrum torquetur pulvere fulmen.  
 948 Ergo intra teli vix ausae accedere jactum,  
 949 adversae facili pinus cessere repulso,  
 950 nec tinxere lacum, sed humum tinxere cruores,  
 951 acrior et solidis in montibus arsit Enyo.  
 952 Marcellus siquidem venturi haud inscius hostis,  
 953 robore collecto clivos insederat altos.  
 954 Hos locus, ast illos numerus juvat. Astra lacessit  
 955 bellicus, et longe premit aera sonantia, clamor,  
 956 illic scandentum, scandentes inde vetantum.  
 957 Sustinuit primo tantum certamine pugnam  
 958 dux Venetus, totis voluit nec viribus uti.  
 959 Mox cum jam seros caneres, Picinine, receptus,  
 960 incubuit denso cedentibus agmine turmis,  
 961 pone retentus eques ; nec non et proxima signo  
 962 effudere dato, pedites castella repostos.  
 963 Tum versi Insubres, tunc ingens edita ferro  
 964 certatim strages ; ut late vallibus imis  
 965 in vada sanguinei fluerent Benacia rivi.  
 966 Deserit infausto calcatos omine colles,  
 967 pulsus et in campos fertur Perusinus apertos,  
 968 Mantua qua junctis Veronam finibus urget.  
 969 Noster paene omni dimisso milite in urbem  
 970 cum ducibus cunctis, ne quid pars illa labaret,  
 971 ipse suam laeto scandit cum remige classem,  
 972 pervolat et rapido Benaci litora cursu,  
 973 multa super curvis victor capit oppida ripis,  
 974 subsidium Paridi, vallatis porrigit escas.  
 975 Interea primi Picininus lumine veris,  
 976 opportuna suo speculatus tempora voto,  
 977 quod non ulla prius tot bellis viderat aetas,  
 978 trans Atesin sese necopino conjicit ausu,  
 979 Hadriacae medio narent licet amne biremes,  
 980 tenderet et citra Venetorum exercitus omnis.  
 981 Tam grave momentum Marcelli absentia rebus  
 982 attulit, et patuit quantum penderet in uno.  
 983 Captae continuo puppes ; terrestria totis  
 984 agmina pulsa vadis, turpes petiere latebras.  
 985 Discurrit latos, nullo prohibente , per agros,  
 986 trux Ligur, et geminae, possesso margine, ripae,  
 987 proxima cuncta rapit, nec Veronensia tantum  
 988 victorem passis admittunt oppida portis,  
 989 sed Vincentinas haud serius occupat arces.  
 990 Tunc et Ateste feros extremus et horruit hydros  
 991 mons Silicis, piger Euganeos qua Baechilo saltus  
 992 terminat, et mistas Aponi refrigerat undas.  
 993 Ipsa Antenoreis tellus fundata colonis,  
 994 saxa super triplices congegit plurima muros.

995 Ilicet ! Attoniti tanto discrimine patres,  
 996 Sforcigenae magni procul a Picentibus arvis,  
 997 sollicitant vires, et junctas foedere gentes  
 998 auxilio implorant ; non solos velle Philippum  
 999 perdere Marcicolas, Genuae haud leviora minari,  
 1000 aeterno in Tuscos odio flagrare ; nec ipsam  
 1001 passurum Romam Petri servire cathedrae.  
 1002 Communem restinguendum communiter ignem.  
 1003 Tum, quae sola obiter superest medicina pericli,  
 1004 Marcellum, quamvis tunc te, Benace, domantem,  
 1005 praecipue, ac sociis vectantem pabula clausis,  
 1006 Alpibus et, fuso rursus hoste, tropaea levantem,  
 1007 Veronae edicunt postponere cuncta tuendae.  
 1008 Digressu illius subito montana rebellant  
 1009 omnia ; rara fides victis terrore remoto.  
 1010 Adventu contra pavidos Verona tumultus  
 1011 comprimit, et fractas reficit fiducia mentes,  
 1012 cuncta obeunte viro vigilantibus ordine curis.  
 1013 Sic depulsa instans urbi certissima clades,  
 1014 sic intra mensem Picininus ab urbe repulsus,  
 1015 submisit post damna minas ; turbavit et alter  
 1016 fervida corda timor, quod adest jam Sforcus heros,  
 1017 publica signa ferens ; sociae cui summa potestas  
 1018 tradita militiae. Non is densissima solum  
 1019 agmina, sed secum Fortunam et numina agebat.  
 1020 Tunc tamen in primis tardatus cursibus haesit,  
 1021 longum, Brenne, tuis vetitus succedere tectis.  
 1022 Nam vafer ante vias venienti obsepserat omnes  
 1023 hostis, et incipiens supremi a colle Soavi,  
 1024 late per medios, Athesina ad flumina, campos  
 1025 duxerat immanem (vix credent saecula) fossam.  
 1026 Saecula vix credent, sed adhuc vestigia restant.  
 1027 Ergo nihil, tantis stipatus millibus, auro  
 1028 conductus tanto ; clarum super aethera nomen,  
 1029 ille novus poterat Venetis succurrere Pyrrhus.  
 1030 Sed veluti spectans, non tractans bella, jacebat  
 1031 irritus ingentis coepti ; et jacuisset in aevum,  
 1032 si non Marcellus, (cui jam ceu propria virtus,  
 1033 artarum duos rerum dissolvere nodos,  
 1034 nec solitas aperire vias) clam, nocte silenti,  
 1035 moenibus egrediens, laevas abiisset in Alpes ;  
 1036 sub juga montanos passim misisset agrestes ;  
 1037 claustra relaxasset Caudinis aemula furcis,  
 1038 praesidia in tumultis simul opportuna locasset,  
 1039 castra per anfractus penetrasset Sforcia longos,  
 1040 optatum monstrasset iter. Tum limite tuto  
 1041 traductae raptim nemorosa per avia turmae ;  
 1042 rursus et edomiti scopuli. Picininus ut altis  
 1043 arma vibrare jugis, et se circumdare vidit,  
 1044 objicibus vanis, ac Diis diffisus iniquis ;  
 1045 evolat, et relegit, modo quem transmiserat amnem.  
 1046 Hic ubi jam rebus levior metus ; urbana fesso  
 1047 otia Marcello post tot concessa labores,  
 1048 non diuturna tamen. Solum quippe advena ductor  
 1049 hunc cupit, hunc tantis unum reflagitat actis  
 1050 collegam, et pugnas alio consorte recusat.  
 1051 Quin et cauliferum cum lentior ante sederet  
 1052 Gevion, haud alio potuit suadente moveri,

1053 iret ut in montes, et opem tibi, Brixia, ferret.  
1054 Scanduntur rigidae jam brumae tempore cautes,  
1055 Benaci qua Sarca rapax caput intrat amoeni.  
1056 Tantus et obsessae, per proxima mittitur, urbi  
1057 victus, ut a Mella castris alimenta redirent.  
1058 Impatiens Perusinus adest, et proelia laevis  
1059 conserit auspiciis ; majori sanguine numquam  
1060 egelidae caluere Alpes ; quin ipse catenas  
1061 haudquaquam effugiat, tacito nisi missus Olympo  
1062 frater Atlantiades, (Parcarum ita fila jubebant)  
1063 eripiat sacri contectum nube galeri,  
1064 nec solum asportet medios impune per hostes,  
1065 insuper et subitis Veronam invadere donet  
1066 fraudibus. O caeci mira inconstantia Martis !  
1067 Ille modo plane victus, prope vincula passus,  
1068 possidet ecce dolo, quam vi non ceperat urbem,  
1069 illatam referens graviori vulnere plagam,  
1070 inter et arma, docens, nimium non fidere laetis.  
1071 Territus horrenda famae novitate sinistrae,  
1072 Sforciades, Arsa circum actis valle manipulis,  
1073 Vincentina procul transcendere in arva parabat.  
1074 Verum hac intrepidus fugientem voce retraxit  
1075 Marcellus : "Latiae dux o clarissime gentis,  
1076 quo tibi confusam tulerunt mala numina mentem ?  
1077 Per tales ut tanta vias evolvere tentes  
1078 agmina, quis Cilicum fauces, et Caspia cedant  
1079 limina ? Praecipites labentur ad ima cohortes  
1080 sponte sua. Quodsi steterit ferus incola contra,  
1081 multa unus solis prohibebit millia saxis.  
1082 Si facilis nos cura sumus, miserere tuorum ;  
1083 sin proprium decus, et Venetum fata ultima tangunt,  
1084 Veronam vexilla refer. Non tota tenetur,  
1085 tres superant arces ; manet una imperdita certe  
1086 porta. Favet Marco tanti pars optima vulgi.  
1087 Festina et dubiis etiam nunc hostibus insta,  
1088 dum nondum fixere pedem ; mora sola triumphum  
1089 abstulerit. Poteris, tu tantum posse putato.  
1090 Respectus fac deesse alios ; cui linqvis amatam  
1091 saevus Joannam ? Cui dulcia pignora, natos ?  
1092 Depositum tibi fida tuum Verona resignat  
1093 si recipis. Non ulla magis movere labantem  
1094 hortamenta animum. Vulsis ciet agmina signis,  
1095 nec quisquam urgenti satis accelerare videtur.  
1096 Ut Ganymedeae, volucris famosa, rapina,  
1097 cum procul incubuit praedae ; si forte relictis  
1098 caeruleum nidis videt arrepsisse draconem,  
1099 pressa alas, ventos secat et sua fulmina transit.  
1100 Mane iter ingressi, noctem junxere labori,  
1101 mox iterum junxere diem, dum tarda sub armis  
1102 vix agitur per saxa phalanx. Verona sonoro  
1103 non aequae divisa Athesi ; qua vergit in austros  
1104 plana jacet ; vetus occiduis arx addita muris ;  
1105 Martius Eois Romano nomine campus.  
1106 Oceano mergi vetitas qua suspicit Arctos,  
1107 praeruptis geminas attollit collibus arces,  
1108 sed spatio brevior sedet. Pons plurimus acri  
1109 impositus fluvio, partes confoederat ambas.  
1110 Si per plana acies, Marcello hortante, subissent,

1111 tota resumpta semel foret urbs, comprehensus et hostis.  
1112 Montanos sua Picenum Joanna coegit  
1113 introitus praefere ducem. Jam summa jugorum  
1114 deciduo pronus feriebat lumine Titan.  
1115 Illa propinquantes vidit cum prima catervas,  
1116 prima procul notum monstravit in agmine conum,  
1117 prima cavo turres sonitum dedit aere per altas.  
1118 Stridula tum prope decurrens limina pandit,  
1119 nec sexum pudor, aut animum formido moratur.  
1120 Quam complexus amans, thalamos et strata capessit.  
1121 Marcellus, quamquam tenebris jam cuncta nigrescant,  
1122 sicut erat, recto tendens ad flumina cursu,  
1123 navigerum prendit, (sic nuncupat incola) pontem.  
1124 Hinc portam, quae juncta, petit ; sed lignea crates  
1125 arcuit ingressum ; "Sarmenta huc ocius, inquit,  
1126 ferte viri", et claustris oblatos subjicit ignes,  
1127 telorum ex alto, nimbi de more, pluentum  
1128 securus. Nec adhuc Vulcani sederat ardor,  
1129 cum sese, medias, pressis calcaribus acto  
1130 per flammam, trajecit equo ; chlamys usta favillis  
1131 horruit, et summas laesere incendia cristas.  
1132 Paullum cunctati comites, dum Mulciber atros  
1133 corrui in cineres, magno clamore sequuntur.  
1134 Clara ferit Marci repetitum sidera nomen.  
1135 Accurrunt tandem, posita formidine, cives,  
1136 certatim invictae figentes oscula dextrae.  
1137 Mittitur et creber, ductorem ex arce suprema  
1138 qui vocet, ac partae jubeat succedere laudi.  
1139 Jam cruor Insubrum, plateas infecerat omnes,  
1140 jam, Marcelle, foro victricia signa locaras,  
1141 cum tam praesentes vix credens Sforzia divos,  
1142 advenit, et, "Salve Latialis certa Quirini  
1143 stirps, ait, ac Veneti reparator maxime regni !"  
1144 Vox erat in cursu, volucer cum nuntius affert,  
1145 incensa furtim Picinimum ex urbe profectum.  
1146 Nec minus undantes, glomerato turbine, fumos  
1147 prospiciunt ipsi, centum consurgere tectis.  
1148 Dividitur bellum ; saevas extinguere flammam  
1149 cura datur pediti ; fugientum carpere velox  
1150 terga jubetur eques ; sed caligantibus alis  
1151 quae texit profugos, nox est remorata sequentes.  
1152 Cetera tum somno refovet sua membra juvenus,  
1153 Marcellus reliquos, portis ac turribus, hostes  
1154 detrahit, et Marci sub leges cuncta reducit,  
1155 ante piger flectat quam frigida plaustra Bootes.  
1156 Sed majora viro certamina praebuit ipsis  
1157 cum sociis, mox orta dies ; effrena receptam  
1158 castrorum improbitas spoliabat turpiter urbem,  
1159 infestis et pax saevibat tristior armis,  
1160 per miseram sine fine domos, per templa Deorum.  
1161 Non tulit ille ferox, et multa caede nocentes,  
1162 compescens, una potuit sub luce mereri,  
1163 ut se bis patriae dicat Verona parentem.  
1164 Fama novi, rapida perniciosior alite, facti,  
1165 trans et Gangaridum populos, et Atlanta cucurrit,  
1166 mille canens pariter Marcellia nomina linguis.  
1167 Ipse (duci laetas ageret cum curia grates)  
1168 Piceni domitor : "Non haec mihi debita, dixit,

1169 gratia ; quid nobis aliena adscribitis ? Hic est  
 1170 unus qui vobis properando restituit rem !  
 1171 Huic, veluti Mario, latices libate Lyaeos,  
 1172 huic omnes soli veterum conferte coronas,  
 1173 hunc cum vallari, rostrata insigniat, auro,  
 1174 vinciat hunc mixto crinalis gramine murus,  
 1175 hunc Jovis et Paphies, et Apollinis ambiat arbor.  
 1176 Palladia, satis est, alios si cingitis umbra.  
 1177 Haud equidem mihi vilis honos, si vera fateri  
 1178 conscia mens subigit ; potior nunc gloria nobis  
 1179 invidia caruisse, decus nec carpere amici."  
 1180 Talibus adstantem titulis ornabat. At illi  
 1181 dicta retorquenti roseus pudor ora notabat.  
 1182 "Non ego nunc, iterum conscensas, eloquar Alpes,  
 1183 nec fractum rursus Picininum in collibus altis.  
 1184 Sed magis a Veneto revocatum Marte, tyranni  
 1185 imperiis, et mox Etrusca ad proelia missum.  
 1186 Spem dederat multus Tyrrheni sanguinis exsul,  
 1187 posse Philippeo Lydos accedere regno,  
 1188 si raptim versis, Boiorum a finibus, armis,  
 1189 Sullana admoto quaterentur moenia bello.  
 1190 Callida quos hausit postquam Florentia motus,  
 1191 se simul et socias ciet ad tutamina vires.  
 1192 Eugenius Latio Patriarcham a Tibride legat,  
 1193 mille sagittiferos Phaethontis condita fratri  
 1194 Urbs adicit ; claris spectatum Troilon actis,  
 1195 Piceno metuens adjungit Sforcia proles.  
 1196 Quem, nisi Marcellum, Venetis misisse licebit,  
 1197 sicubi dura vocant ? Tantorum Etruria dextris  
 1198 tunc defensa ducum, patriis hostilia fixit  
 1199 insuper arma Deis, et pompas egit ovantes.  
 1200 Haud minor interea per Gallica rura Gradiivi  
 1201 impetus, et Liguri similis fortuna chelydro.  
 1202 Nam simul ac vernae spirarunt mitius aurae,  
 1203 dum Picininus abest ; numero tam Sforcius heros,  
 1204 quam virtute prior, gelidis non rupibus ultra  
 1205 utitur in pugnas, sed in arva patentia sese  
 1206 fundit, arundifero quae Mincius amne pererrat,  
 1207 Mincius aeterni fama celebratus alumni,  
 1208 Mincius Aonia Permessi sanctior unda.  
 1209 Transgressum tortis horrens exercitus hydris  
 1210 excipit occursu. Dux Italianus agebat,  
 1211 acer tractandis, sed non et prosper, in armis.  
 1212 Tunc etiam sua fata viro. Superatus et ipsis  
 1213 exutus castris, longi te, Brixia, solvit  
 1214 obsidione metus, et quicquid paene quaternis  
 1215 perdideras annis, spatium tibi reddidit horae.  
 1216 Nec dispar Martis Benaco eventus in alto,  
 1217 totus et hic victa reparatus classe Philippi.  
 1218 Marcellus sed causa boni, Marcellus origo,  
 1219 qui primus siccas, per devia saxa, carinas  
 1220 vexit, et ob patriam naturae foedera rupit.  
 1221 Post etiam plures densa circum abiete caesa,  
 1222 struxit, et in lymphas, saltus nudavit opacos.  
 1223 Is jam Maeonio victor remeabat ab Arno,  
 1224 obvia cum reduci patrum mandata, Ravennam  
 1225 declinare jubent ; sensisse inhiare rapacem  
 1226 quippe loco Ligurem ; nec tam exitiale futurum

1227 quicquam Marcicolis, Hadriae sulcantibus aequor ;  
1228 invollet aequoream quam si gravis aemulus urbem.  
1229 Quod contra imbellem pronum satis esse potenti,  
1230 versuto contra stolidum. Nam forte Ravennae  
1231 tum praeerat (si praeesse potest ignavus et excors)  
1232 jure clientelae Venetis obstrictus avitae,  
1233 Ostasius, veteris generosus stirpe Polentae  
1234 ille quidem, nostro vacuus sed munere mentem.  
1235 Hinc misero insidias vicini tendere. Vulgus  
1236 hinc dedignari frenos. Praeponere quodvis  
1237 servitium foedae stulti rectoris habenae.  
1238 Omnia discordi passim miscere tumultu.  
1239 Ceu pueri indociles, studiis per pulpita omissis,  
1240 cum rixas iniere, volant per inane libelli  
1241 protinus, et nigros, spargentia cornua, nimbos.  
1242 Si gravis excitus rauco clamore magister  
1243 cum ferula et solitis apparuit horridus armis,  
1244 compositi mussant, et nota flagella trementes  
1245 respiciunt : sidit motus modo turbine pulvis.  
1246 Sic ubi Marcelli venerabilis illa refulsit  
1247 majestas : posuere irae, compressa furentis  
1248 seditio populi. Non bella forensia tota  
1249 luce fremunt ; nulli grassantur nocte latrones.  
1250 Certior excubiis it tessera ; jam suus aequo  
1251 est tenor ; irrisas metuunt jam crimina poenas.  
1252 Venturam cives Marci sub jura Ravennam  
1253 crediderant, et eo Marcellum nomine missum.  
1254 Ergo alacres animis, et dedere cuncta parati  
1255 conveniunt, fremitu quos atria celsa petentes  
1256 terruit exsiliens, (quamquam aegros laeserat artus  
1257 crassior aura loci), non haec sibi jussa verendis  
1258 a patribus ; sed uti peregrina pericula longe  
1259 arceat, et populum pariter cum principe servet  
1260 incolumem ; tanti Venetis non esse Ravennam,  
1261 ut circumscripto, sic infamentur, amico.  
1262 His semel, his iterum moniti, cessere parumper,  
1263 illum admirantes, illum astris laude ferentes  
1264 multiplici, tandem seniorum lectior ordo,  
1265 unanimae decreta ferens communia plebis,  
1266 soli sceptriferos urbis commendat honores,  
1267 alter quod votis deposceret, ipse rogatus  
1268 suscipiat, Divos neu temnat sponte vocantes,  
1269 parentem fatuo, nulli parere Ravennam  
1270 aestimet et vacuae solium sibi vindicet aulae ;  
1271 aut sciat invitam sese hanc donare Philippo.  
1272 Coeperat instantes placidis avertere dictis,  
1273 cum medias simplex abruptit turba loquelas,  
1274 arma micare foro, nec jam revocabile factum  
1275 vociferans. Acres tum vero exarsit in iras  
1276 fervidus, et virgis implexas, voce tremenda,  
1277 jussit ab exserto stringi lictore secures,  
1278 citra supplicium solo terrore timeri  
1279 suetus, et humano tantum ultima sanguine curans.  
1280 Dilapsi extemplo ; tamen haud formidine tantum  
1281 intremuere necis, quantum stupuere repulsa ;  
1282 esse aliquem in terris hoc qui regnare sub aevo  
1283 abnuat, et precibus tantis oblata recuset ;  
1284 quae sibi vi raptant reliqui, sitis improba quorum

1285 omnia sacrați confundit vincula juris,  
1286 in patriam cives, in pignora saepe parentes  
1287 suscitât, et diros germanis induit enses.  
1288 Par utinam cunctis animus ; non classibus undae,  
1289 non fremerent campi radiantibus aere catervis.  
1290 Vulnifica soli streperent incude ligones,  
1291 nil saevum cudente fabro ; Saturnia gentes  
1292 inclusae haud ullis agitarent otia muris ;  
1293 mors homini longae succederet unica vitae,  
1294 rursus et in terras descenderet aurea Virgo.  
1295 Quamquam haud sola fuit nostri haec insignis alumni  
1296 temperies ; quoties rutilantis grandia massae  
1297 pondera, ceu vilis cumulum despexit arenae ?  
1298 Venerat ad Paridem, fugituris poscere turmis  
1299 transgressum, tacito spondendi plurima, fultus  
1300 arbitrio, gratis si forsitan ille negasset.  
1301 Senserat ista Paris ; cum Pyrrhi fraude secundum  
1302 tentat Fabricium, partiri lucra paciscens.  
1303 Marcellus veteris non se modo labe Gylippi  
1304 abstinuit, sed nec Paridem nisi blanda loquendo  
1305 flexit et ingentem patriae servavit acervum.  
1306 Sforcia Veronam populabat turba receptam ;  
1307 mandavere patres redimi tot millibus urbem,  
1308 aut medio pugnare foro ; nisi ductor iniquos  
1309 praedones cohibere paret ; secreta Senatus  
1310 Sforciades aliquo deprendit jussa susurru.  
1311 Haud mora, commissum velut ipse acceperit aurum  
1312 clam dat Marcello, taciturnum in saecula jurans.  
1313 Non tamen ille magis tam dulci peste moveri  
1314 evaluit, quam qui Samnitum munera risit,  
1315 dum coquit in fragili tenuissima prandia testa.  
1316 Haec dum diversis bello vel pace geruntur  
1317 partibus, autumnus jam torrida cesserat aetas,  
1318 proxima segnis hiems. Primos tantummodo flores  
1319 mutuus exiguo maculavit sanguine Mavors.  
1320 Tum litui siluere truces, et ferrea Jani  
1321 claustra exarmatos, paulum tenuere, furores.  
1322 Nam fessus tandem post proelia longa Philippus,  
1323 nec potis ulterius felices ferre superbi  
1324 Sforciadae insultus, patrias se vertit ad artes,  
1325 promissam spondens Juveni mox tradere natam,  
1326 insuper et pulchrae solium dotale Cremonae,  
1327 invisum certo medius si foedere bellum  
1328 terminet, et socero parcat gener. Illius aegros  
1329 expugnant sensus, hinc ambitus, inde libido.  
1330 Jam se Marcicolis socium, jam Insubribus hostem  
1331 nescit, et ambiguus positus sedet arbiter armis.  
1332 Postquam inter geminas coit concordia partes,  
1333 oppida praeclarus repetit Picena sequester,  
1334 conjugii et dote potens ; Cythereia qualis  
1335 praemia, Dardanius Therapnaeo a litore iudex  
1336 rettulit, et timidae fecit rata somnia matris.  
1337 Vix bene trajectus Rubicon et ovante triumpho,  
1338 nupta maritalis nova circumducta per urbes ;  
1339 Martia cum subito geniales classicae buxos  
1340 turbantur. Latius justas flammatus in iras,  
1341 rapta reposcebat Piceni regna sacerdos.  
1342 Victor Campanis juvat hunc Alfonsus ab oris

1343 nuper depulso, patuit cui capta, Renato  
1344 Parthenope. Juvat et generi memor offensarum,  
1345 trux Galeatiades, et Celtica damna rependit.  
1346 Non tamen ille acie, sed paupertate subactus,  
1347 vincitur et cunctis late miserabilis errat,  
1348 praeterquam focero ; tantae quem paenitet unum  
1349 vindictae ; haud ullum capiunt odia improba finem,  
1350 dum superest aliquid misero, quod perdere possit ;  
1351 ergo data, immeritum tendit spoliare, Cremona.  
1352 Providus hanc olim Venetis commiserat heros  
1353 tutandam, metuens cognati toxicon anguis.  
1354 Hac iterum causa discussum pacis amicae  
1355 foedus, et ad capulos dextrae rediere minaces ;  
1356 his commendatam studio retinentibus omni,  
1357 ad breve concessam tempus jactante Philippo.  
1358 Non tamen hic ullus Superum favor. Impia sanctas  
1359 justitiae adversus tentantem proelia leges,  
1360 destituere Dei ; sive illos causa fugavit,  
1361 ultima seu Parcae jam nentes fila tyranno.  
1362 Seu duce mutato, castris Fortuna recessit.  
1363 Nam raptio Stygias Picinino nuper ad undas,  
1364 filius Insubrum Franciscus signa regebat,  
1365 tam minor ingenio patris, quam robore major.  
1366 Sed quid corporeae prosunt ad talia vires ?  
1367 Mentis opus regimen. Venetis aequissima contra  
1368 bellandi ratio, fatis adjuta secundis ;  
1369 dux simul, et Divos potis emendare sinistros,  
1370 Marcellus. Veterum patrio de more Quiritum,  
1371 ille quidem pacis studiis per rura vacabat,  
1372 jam pridem, Gradive, tibi pendentibus armis  
1373 emeritus ; stivae juvat assudare prehensae,  
1374 aut propagatam scrobibus defigere vitem.  
1375 Ipse manum sentit felicem palmas, et ipsae  
1376 patricio rursus gaudent cultore novales.  
1377 Sin reditorum series dilata laborum ;  
1378 libera Achilleis indulgent otia plectris.  
1379 Fraxinea quoties modulantem dulce sub umbra  
1380 Atthides argutae pressis stupuere querelis ?  
1381 Mulcendas quoties cantanti praebuit aures  
1382 quae modo venantem fugitarat, turba ferarum ?  
1383 Tunc etiam istorum quiddam secretus agebat,  
1384 cum subitos fasces festinus ab urbe satelles  
1385 obtulit, et laetis strepuere tumultibus aedes.  
1386 Haud secus intonsum mediis quaesivit in arvis  
1387 dictatura senem. Modici squalentia campi  
1388 jugera praeduris versabat forte lacertis ;  
1389 ecce repentinus cunctanti rastra viator  
1390 excutit, et trabeas humeris sudantibus aptat,  
1391 sceptrum simul tradit. Jam cesserat ore verendo  
1392 sordida rusticitas ; jam respondebat honori  
1393 majestas formae ; trepidos, nova purpura, tauros  
1394 terret ; et insolito rerum fulgore paventes,  
1395 mutatum nati dubitant agnoscere patrem.  
1396 Quintius et qua sit veniens interrogat uxor.  
1397 Talis tunc posita, Praetoria, falce petebat  
1398 Marcellus ; sparsos primum in stativa manipulos  
1399 colligit ; occurrunt procul et venerantur ovantes,  
1400 nec dubios illo sperant rectore triumphos.

1401 Dum properat, non aere gravis, non munere dives  
 1402 venerat ; haud aliter tamen illi edicta facessunt,  
 1403 quam si mercedes et donativa tulissent.  
 1404 Tanta fides uni, tantum vel parcus amatur.  
 1405 Credere quis poterit ? Venalis in omnia pubes  
 1406 nec nisi depenso, prius umquam mobilis, auro,  
 1407 non ullis fulvae, donis illecta, monetae,  
 1408 sed placido vultu, sed blanda voce jubentis,  
 1409 certatim arma rapit, certatim aestiva relinquit,  
 1410 certatim in cuneos agitur. Pars ultima vulgi  
 1411 lentarum timide veniam petiere morarum.  
 1412 Respuat ille preces ; sed adhuc conflagrare patrum  
 1413 interdicta vetant. Si verbis ante Philippus  
 1414 flectatur, crudum stimulent quam classica Martem.  
 1415 Ut tandem vario protractos longius astu,  
 1416 legatos regredi, fraus intellecta, coegit ;  
 1417 tum demum cupidis divisa pecunia turmis,  
 1418 ductori pariter permissa licentia pugnae.  
 1419 Sforciades postquam Picenis sensit in oris,  
 1420 missum servandae, Marcellum ad bella, Cremonae ;  
 1421 ignovit Venetis, et tempestitiva putavit  
 1422 adjuncta suis, decreta hoc praeside, rebus,  
 1423 ante queri solitus tardis sua damna levare  
 1424 subsidiis, ac jura palam socialia rumpi.  
 1425 Nec Ligurum ulterius discurrunt agmina passim,  
 1426 aut praedas meditantur agris, aut oppida pandunt,  
 1427 aut urbis clausae portas velitantur ad ipsas ;  
 1428 sed procul in tuta sese statione recondunt.  
 1429 Insula non paribus magni circumflua ramis  
 1430 prominet Eridani ; citra minor alluit amnis,  
 1431 ripa sed interior praeruptas ardua moles  
 1432 vorticibus subadesa levat ; tum spinea primos  
 1433 dumeta obducunt aditus ; post herbida longo  
 1434 planities spatio patulum se extendit in aequor.  
 1435 Neu desit liber partes egressus in ambas,  
 1436 dividuae totidem nectuntur pontibus undae,  
 1437 pabula jumentis large locus ipse ministrat,  
 1438 cetera navigiis accedit copia rerum.  
 1439 His sedet in claustris plus hoc peritura Juventus,  
 1440 quo melius vallata fuit. Sors nulla pericli  
 1441 deterior, nullum quam formidare periculum.  
 1442 Quis pudor, ignavi, campo non credere aperto ?  
 1443 Nec perferre animis, numero quem vincitis hostem ?  
 1444 Non latebrae tutos faciunt, sed provida virtus.  
 1445 Stulta, satis nullo munitur, inertia muro.  
 1446 Vos licet hinc Ganges, hinc intrajectus Araxes,  
 1447 vos Tanais tota gelidus Maeotide cingat,  
 1448 vos Styx gurgitibus liget interfusa novenis ;  
 1449 inveniet Marcellus iter. Cui stringere ferrum  
 1450 sponte nimis prono, postquam timor hosticus acres  
 1451 adjecit stimulos, notat aptum invadere tempus,  
 1452 confisos septis, nec quicquam tale verentes ;  
 1453 arte tegens tanta coeptorum arcana suorum,  
 1454 ut se explorari prudens patiat, et ultro  
 1455 imperet hostiles duci per castra Dolonas  
 1456 venturi nullam speciem praebentia motus  
 1457 sed mensas inter vario strepitantia lusu.  
 1458 Quos ubi donatos etiam dimisit, et omnes

1459 praecepit custode vias ; clam, murmure nullo  
1460 armat et educit, structas et promovet alas.  
1461 Franciscus (quamvis praedae quos cura per agros  
1462 sparserat, ingeminent, Venetum adventare sub armis,  
1463 quamvis pulvereum, piceo se turbine, caelum  
1464 induat) illa tamen nimia formidine fingi  
1465 jactat, et auctores famae castigat inanis,  
1466 nil fraudum ratus, et multo securus Iaccho :  
1467 donec purpurei propius micuere leones,  
1468 ferreus et contra praestringit lumina fulgor.  
1469 Et levis afflavit quem forsitan aura secundi  
1470 fulminis ; exanimus jacet, ac se morte teneri  
1471 credit et ipse. Tremunt reduces jam in pectore sensus,  
1472 nondum aperire oculos tamen, aut exurgere fidit :  
1473 sic stupuit Juvenis. Vix tandem voce reversa :  
1474 "Ite, ait, infaustum citius rescindite pontem,  
1475 Ite mei, stantem nam spes jam nulla tueri,  
1476 aut opus." Interea reliquum se armaverit agmen.  
1477 Talia dum rauco pallens tonat ore, revulsi  
1478 jam fluvio innabant plutei ; nec scandere pernix  
1479 integra Gentilis potuit tabulata, sed egit  
1480 tam parvum, parvo staret ne sanguine, lucrum  
1481 anguigeris ; adeo frustrati saevius ardent.  
1482 Postquam improviso, percussos vidit, adortu,  
1483 Marcellus, totas in flumina lata phalanges  
1484 praecipitat, captus vada qua monstraverat index.  
1485 Quis tibi facta viri paribus nunc omnia dictis  
1486 explicet ? Unus obit diversos mille labores,  
1487 aegra licet morbo labefactus membra recenti  
1488 unus mille duces variis discursibus implet.  
1489 Aptis ille locis tormenta ex ordine ponit,  
1490 quis contra ex alia jacentes parte repellat.  
1491 Ille iter ostendit properantibus. Ille morantes  
1492 arguit. Ille ferum primo irrumpentibus amnem,  
1493 praemia magnorum non irrita dictat honorum.  
1494 Ille docet placidos, ubi mollia litora, clivos  
1495 demittunt ; brevioris ubi minor impetus undae :  
1496 "Huc tu, Pice, mihi spumantes dirige habenas,  
1497 nuda relucenti qua flavet glarea dorso.  
1498 Quo miser in latices, quo tendis, Oliva, sinistros ?  
1499 Dexteriores tene ; summas hic purus arenas  
1500 vix tegit humor ; ibi crasso illuctabere caeno."  
1501 Clamat, et ante omnes medium secat ipse profundum.  
1502 Tela inter crebrae stridentia grandinis instar,  
1503 fatorum serie defensus et aegide nostra.  
1504 Ipse manu lituo revocantis ab ore magistri  
1505 excusso, ingressis canit irremeabile signum.  
1506 Fit sonus, et scisso, crescunt vada turbida, fundo.  
1507 Mirantur procul arma virum, mirantur equorum  
1508 Naides , et rubras optant sibi figere pennas.  
1509 Abditus arcano, genitor residebat, in antro,  
1510 extulit astriferos, tamen ad spectacula, vultus,  
1511 indignans tacite, quod tanta audacia cuiquam,  
1512 ut regem Hesperidum pedibus proculcet aquarum.  
1513 Haec volvens animo, calidas Deus humidus iras  
1514 concipit et tollat fluctus, ni Jupiter obstat,  
1515 tantum Dis noto, fassus sua numina, signo.  
1516 Ergo viris undae faciles, sed scandere siccum

1517 durius. Absciso pendebat margine, tellus,  
1518 nec deerat sparsae, custodia rara, coronae  
1519 spicula protentis, injectans desuper, hastis.  
1520 Quam suus ut terror, virtus et reppulit horum,  
1521 circuitus longos pars et declivia quaerunt,  
1522 pars agili superant etiam sublimia saltu.  
1523 Nec solus multo luctantem verbere cogit  
1524 cornipedem sessor ; stimulos praeueuntis acuto  
1525 pone iuvat conto, qui tergum proximus urget.  
1526 In solidum evectos densa excepere ruborum  
1527 arbusta et late densis via vepribus horrens.  
1528 Haeserat his pulchre Venetum fortuna frutetis,  
1529 cum non attonitis si res foret. Ordine rupto  
1530 divulsae huc illuc acies, et callibus artis  
1531 errabat confusa vago structura meatu ;  
1532 ampla sed hanc propriae, mox reddidit area formae  
1533 prima ubi surgebant Liguris tentoria valli.  
1534 Hic tandem justo coit certamine Mavors.  
1535 Tunc fragor hastarum caeli crepitare per auras,  
1536 tunc tinnire pares collisis ensibus enses,  
1537 tunc pulsae gravibus galeae subsidere clavis  
1538 in cerebrum, et summus findi clamoribus aether.  
1539 Nunc propellentes videas, nunc mutua rursus  
1540 cedentes. Dubio sic unda reciproca fluctu  
1541 ludit, et impulsus non uno flamine culmi,  
1542 aut inclinantes alterna cacumina silvae.  
1543 Non tamen aequa diu, gemini stetit alea fati,  
1544 quippe exsternati necopino turbine rerum  
1545 jam pridem Insubres non multum longa tulerunt  
1546 proelia, ductores primi insiluire paratas  
1547 absolvere rates. Reliquum plebs cetera pontem  
1548 corripuit. Sed quae trepidi tot millia vulgi  
1549 lignorum compago ferat ? Depressa refixis  
1550 robora sederunt trabibus ; salit amnis, et altum  
1551 immugit circa nemus ; ac Phaethontides alni,  
1552 plurima concussis, fuderunt succina, truncis.  
1553 Impediunt miseros, arma infelicia nantes,  
1554 impediunt et equi. Fluitant errantia passim  
1555 scuta virum, et galeas prohibent descendere coni.  
1556 Neu multis extrema morer, victoria nostris  
1557 plena fuit. Mersi plures, pars maxima capti  
1558 Ambrosidum. Elapsi, quantis satiata pepercit  
1559 jam manus, et nimiis hebetes successibus irae.  
1560 In tuto discrimen erat, cum castra rapinis  
1561 tradita, nox donec reditum suaderet, et omnes  
1562 repleti spoliis ; te, dux Marcelle, remoto,  
1563 qui ditare alios, quam tu ditescere, mavis,  
1564 pugnanti praedam, decus inter bella regenti  
1565 assignans ; de tot nec commoda plura triumphis  
1566 unquam sortitus, quam victum Persea ducens  
1567 Paulus, et eversae qui sprevit signa Corinthi.  
1568 Ista, Cremonensis quicquid desciverat agri,  
1569 aut erat ereptum, momento palma recepit.  
1570 Ista polos ultra Marcellum nomine vexit,  
1571 nec quisquam terris sonuit tum tantus et alto.  
1572 Ista secuturis latum et proclive tropaeis  
1573 stravit iter. Nam cum reliquis jam lenta placerent  
1574 otia, Marcellus : "Non nunc hiemare cohortes

1575 tempus, ait, cum laeta suos dant carpere fructus.  
 1576 Quis probat Hannibalem, Cannis ita segniter usum ?  
 1577 Aut enervatos, Capuae intra moenia, Poenos ?  
 1578 Ne, rogo, ne pereat, quod raptis miles abundat,  
 1579 quod stipe mensurna, quod adhuc pars major opimi  
 1580 est super autumnis." Sic ore effatur, et altum  
 1581 mente movet facinus ; violatum Insubribus hydri,  
 1582 compensare Athesin, Ligurum graviore ruina.  
 1583 Anguigerum sicca celer Addua munit, ab Urso,  
 1584 imperium, tantis Celtarum ex omnibus uno  
 1585 nec multum minor Eridano ; sic valle profunda  
 1586 sulcat humum, spatio discedunt litora tanto.  
 1587 Huic clandestini textum vectabile pontis  
 1588 inter nocturnas furtim injicit ille tenebras,  
 1589 trans fluvium misso prius explorare Tibero.  
 1590 Post etiam missis, alia qui parte minantes  
 1591 transgressum, intentos traherent longinquius hostes.  
 1592 Ars suprema fuit, quod qui prohibere parabant,  
 1593 his suadere fugam, fictum submitit amicum.  
 1594 Nullis tecta dolis exegit cetera virtus.  
 1595 Quippe in trajectu medio, veracior affert  
 1596 inspector, duo multifidi restare fluenti  
 1597 brachia ; deinde alter, totidem descendere naves,  
 1598 percussum rostris valeant quae scindere pontem.  
 1599 Tum vero trepidare omnes. Odisse paratus  
 1600 letiferi inventum. Nullam sperare salutem  
 1601 ni redeant. Tunc et veterum meminere malorum,  
 1602 prisca recensentes exempla timore magistro,  
 1603 saepe olim Venetis tentata ea flumina signis,  
 1604 sed semper summo, frustra tentata, periculo.  
 1605 Nunc primam longe vetitos insistere ripam,  
 1606 nunc mersos avidis jacuisse natantibus escas,  
 1607 seu Gonzaga pius, seu Carmaniola severus  
 1608 duceret, a coeptis semper cum strage repulsos.  
 1609 Hic eadem ventura, Deos si forte negantes  
 1610 irritent, sive id terrae, sive esse liquori,  
 1611 fatale esse tamen, ne quando hac transeat hostis.  
 1612 Nec Marci vexilla datum defigere cuiquam  
 1613 hos ultra latices. Quae dum turbata retractant  
 1614 agmina, "Marcellus, quid vana pavescimus ? inquit.  
 1615 Non ea vis animo, nec tanta superbia victis,  
 1616 nos ut rejiciant. Numeratum misimus undas.  
 1617 Ne decurrentes possint offendere pinus,  
 1618 praetenti facient haec ipsa ad munera funes.  
 1619 Aut illas nudis haerentes forsitan arenis  
 1620 corripient nostri. Divo sunt et sua Marco  
 1621 fata, colubriferi fati meliora Philippi.  
 1622 Numquid hic alter Halys, dubia transmittere Paean  
 1623 quem me forte vetet ? Pontum temeravit Iason,  
 1624 Oceanum Caesar ; vacuas homo daedalus auras ;  
 1625 nos brevis exiguae, retro fuget alveus, undae ?  
 1626 Esse potest aliquid gravius fortasse regressu,  
 1627 turpius esse nihil ; nec quod magis ipse recusem,  
 1628 promptus iam tanta caput hoc pro laude pacisci."  
 1629 Has inter voces, captas in fama carinas  
 1630 nuntiat, et facili geminos superare canales  
 1631 posse vado ; nullos hostes ; tuta omnia circum.  
 1632 Sic primum, intactam bellis tot saecula terram,

1633 praeside Marcello, Veneti pressere leones.  
 1634 Jam laetus totis quem mane exercitus armis  
 1635 vallat, et invito, prope vi, calcaria cingit  
 1636 aurata, et fulvum reliquis cum ornatibus ensem,  
 1637 militiae sublime decus. Tanti Addua cunctis  
 1638 sub juga missus erat ; nihil ut speciosius umquam  
 1639 censerent egisse virum. Sua nam prius illum  
 1640 propugnasse ; at nunc animosam hostilibus arvis  
 1641 injecisse manum. Nempe et Capitolia curru  
 1642 scandebant, certa Latiorum lege Quiritum,  
 1643 non qui servassent, sed qui nova regna parassent.  
 1644 Multa huic diversi tribuere insignia reges  
 1645 sponte sua ; in primis modo Parthenopaea Renatus  
 1646 sceptrum tenens ; post hunc Francorum summa potestas.  
 1647 Quin at Pannoniae rector, tua cura, superbae,  
 1648 nobile nuper ei veterum gestamen avorum  
 1649 contulit adveniens, unde illi in pectore laevo  
 1650 ignea gemmati dependet spira draconis.  
 1651 Multis saepe ordo tituli provenit equestris.  
 1652 De tot praeclaris, Marcello, pulchrior isto  
 1653 numquam accessit honos ; idem non pulchrius ulli,  
 1654 si bene causa, locus, tempus, modus, omnia, recto  
 1655 iudice pendantur. Pudeat qui talia regum  
 1656 in thalamis fortassis emunt ; et cultibus ipsis  
 1657 turpes dedecorant, quod non meruere, metallum.  
 1658 Ipse etiam socios, aequa vice, gratus honorat  
 1659 ductores, cunctis totidem castella viritim  
 1660 distribuens ; sunt et reliquae sua munera pubi,  
 1661 inter se pretiis, quantum distantia causis.  
 1662 Nec tu vile puta fluvio nova vincula tali  
 1663 addere ; vix ullo claret celebratior actu  
 1664 Julius, Arctoi domito quam gurgite Rheni.  
 1665 Quae tamen ausorum prior illi gloria, quam quod  
 1666 transiit ? Aut fructus potior, quam sospite sospes  
 1667 agmine quod rediit ? Longe hic majora videbis.  
 1668 Vicinum primo Cassanum invaditur, illinc  
 1669 saxeus immensos pons aedificatur in arcus.  
 1670 Ulterius ne jam transire volentibus obstet  
 1671 hac velut aeterna religatum compede flumen.  
 1672 Inde, licet gelido tristis jam bruma Novembri,  
 1673 sub pelles ageret cuneos ; tamen omnis opimae  
 1674 Insubrum urbis ager late percursus, et ingens  
 1675 capta hominem et pecorum, nec non, opulentia, rerum.  
 1676 Quin jam lucra satur spernit mediocria miles,  
 1677 jam nisi perfusam, fastidit, murice vestem,  
 1678 aut virides gemmas, argenti aut pondus et auri.  
 1679 Cetera calorum turbae rapienda relinquit.  
 1680 Saepius humanos effrenant prospera sensus.  
 1681 Turbida seditio tot praedis inter onustos  
 1682 exarsit ; nec jam torres aut saxa per auras,  
 1683 sed validis vibrata ruebant pila lacertis.  
 1684 Sed procul impulsae, nervo stridente, sagittae,  
 1685 fistula sed parvum, quod torsit ahenea plumbum.  
 1686 Nec plane magnis Venerum sine cladibus isset  
 1687 ille dies, ni se (quamquam ora et pectora nudus)  
 1688 Marcellus telis propere inseruisset et armis,  
 1689 temporis et puncto furialis proelia rixae,  
 1690 vultu, voce, manu, tacita et pacata dedisset.

1691 Ut cum tranquillas, subiti vis turbinis, undas  
 1692 sustulit in scopulos ; imis excitus ab antris  
 1693 rex maris, Aeolias fugat in sua claustra procellas.  
 1694 Vix emersit aquis ; premit horrida sibila mutus  
 1695 Auster, et erectum Boreas timet ipse tridentem.  
 1696 Diffugiunt nubes et solo mobilis aestu,  
 1697 lactea marmorei diffunditur area campi.  
 1698 Ille per intactos, curru volat alite, fluctus.  
 1699 Sic tum vesani sedata amentia motus,  
 1700 nec data lassatis, nisi sero hiberna, catervis.  
 1701 Ne tamen efferret tumidas incuria mentes,  
 1702 solveret ignavus, neu segnia corpora, languor ;  
 1703 tunc etiam variis agitatum excursibus agmen  
 1704 Ticini ad muros. Tunc et tua, maxime Bracci,  
 1705 stirps Carolus, tantum referens virtute parentem,  
 1706 gentilis ductu campo deletus aperto,  
 1707 gentilis, quo non Marcello carior alter,  
 1708 nec gestis propior, quantum caelestia dextrae  
 1709 mortales, possunt attingere facta Deorum.  
 1710 Quis tibi tunc, horum fons et causa unum malorum,  
 1711 saeve Philippe, animum ? Duplici cum Marte videres  
 1712 succubuisse tuos ; nec jam in confinibus hostem,  
 1713 verum in visceribus positum ; gladio, igne, rapinis,  
 1714 nunc tua vastari, cui praedae aliena solebant  
 1715 esse prius ; latebris clausus nova semper in horas  
 1716 deteriora audis, et famae irasceris ipsi.  
 1717 Nec jam impune tibi tua damna renuntiat ullus,  
 1718 hostibus et plus te, referentes tristia, laedunt.  
 1719 Sed quo plus fractae vires, hoc acrior astus  
 1720 serpenti ; si qua caput aegrum attollere possit,  
 1721 si qua eversorem rerum evertisse suarum,  
 1722 nocte, die, secum rimatur et omnia tentat.  
 1723 Hinc siccae insidias, gentilis at inde veneni,  
 1724 postremo artifices, (quarum illi summa facultas,  
 1725 quis tot mollitus rigor, et tot capta virum mens,  
 1726 Italiae toties quae turbavere quietem.)  
 1727 Suggestit illecebras, et grandia munera mittit,  
 1728 munera poplicolas et corruptura Catones.  
 1729 Quicquid lanigeris, urbs pulchrum, condita Gallis,  
 1730 cudit, net, tornat, ferro, subtemine, ligno.  
 1731 Quicquid ab orbe alio, terris, humore, metallis,  
 1732 fert, vehit, exhaurit, mercator, navita, fossor.  
 1733 Marcellus tamen his, tantum cor praebet et aures  
 1734 quantum fabellis sopitus anilibus infans.  
 1735 Nec magis admittit fallacia dona tyranni,  
 1736 quam cauta Aeaeos, Ithaci prudentia, succos.  
 1737 Ille ubi sese aquilae nimium sublime volanti,  
 1738 nequicquam laqueos intendere sentit inanes ;  
 1739 heu ! genero rursus (quid non rerum ultima cogunt ?)  
 1740 Supplicat, et modo quem totis attriverat armis,  
 1741 invocat auxilio. Veniam dent ambo vicissim  
 1742 praeteritis ; adsit socero certissimus orbo  
 1743 haeres, et solium, natis jam, arcessat avitum,  
 1744 nec sinat affini Venetos irrepere regno.  
 1745 Spe tanta, et fatis evictus Sforzia Divum,  
 1746 addit se Liguri, benefacta et foedera Divum,  
 1747 Marcicolum laudans, et mille ingratus honorum,  
 1748 nec pro se coepti paulo memor ante duelli.

1749 Quem dum colla nova lente de strage levantem,  
 1750 Gallica longinquos tenet inter Sena paratus,  
 1751 praesentum indigno solacia cernere cladum  
 1752 Visconti, extremam, torquentes crimina Dirae,  
 1753 applicuere diem. Nam pulso ut frigore primum  
 1754 arboribus frondes redierunt, gramina pratis,  
 1755 Marcellus paulum circa expugnanda moratus,  
 1756 terrae expugnari poterant loca si qua propinquae,  
 1757 continuo tantis, summum decus addere, factis  
 1758 apparat, et votis ausus majora priorum,  
 1759 ipsam illam Mediae, referentem nomina, lanae,  
 1760 admotis urbem statuit pulsare catervis.  
 1761 Obstabant multi : "Pone hos, Marcelle, furores,  
 1762 neve Giganteis conatibus aethera tenta ;  
 1763 quin si tale aliquid noctis tibi fingat imago,  
 1764 matutina piet non faustos victima somnos.  
 1765 Tune hanc, Hesperiiis, qua nulla frequentior oris,  
 1766 obsidis ? Cum praeterea tot moenia servent  
 1767 armata cum pube duces. Procul ista facessant.  
 1768 Unde tuis victum ? Post omnia quaerimus illud,  
 1769 quantus tam magno petitur discrimine fructus ?"  
 1770 Noster ad haec : "Plebs est illic numerosa, fatemur,  
 1771 sed quid cerdonum curabit proelia miles ?  
 1772 Sunt et reliquiae, sed nobis ante subacti  
 1773 agminis, et viso tantum victore, trementes.  
 1774 Victus erit, mea quem secreto cura paravit,  
 1775 bis detosta Ceres, plaustris invecta ducentis.  
 1776 Commoda succedent, quod vectigalia, quorum  
 1777 proventu pollet Ligus, intercepta peribunt ;  
 1778 quod Mariae invicti modo formidabile nomen,  
 1779 vile dehinc mundo, tenuem vanescet in umbram.  
 1780 Jam si intra muros aliquem consurgere motum  
 1781 accidat, o quali claudemus bella triumpho !  
 1782 Quis spe pro tanta vel summa pericula vitet ?"  
 1783 Inter verba, simul tolli vexilla jubebat,  
 1784 nec stetit ante ferox, Lambri quam fixa locavit  
 1785 castra super ripis. Caelo pars tendit aperto,  
 1786 contiguos fossis pars obtinet hospita vicos.  
 1787 Vastatur circum, quicquid vastabile Mavors  
 1788 invenit, abductos pastor caesosve juvencos ;  
 1789 vinitor exsectas vites ; frumenta colonus,  
 1790 messoris curvam prope jam poscentia falcem,  
 1791 vel depasta gemit, vel proculcata. Reliquit  
 1792 quod ferrum, sternit ferro violentior ignis.  
 1793 Haec super, inscriptas jactat Marcellus in urbem  
 1794 passim litterulas : "Non vos ego laedere cives,  
 1795 sed magis a taetra servare tyrannide veni,  
 1796 segnis et immanis domini ; qui lentus in aula  
 1797 ceu populator iners alieni fucus acervi,  
 1798 quaesitis fruitur vestris ; nec conjuge quemquam,  
 1799 aut nato gaudere sinit, male sexibus utens,  
 1800 naturae nec jura minus, quam vestra profanat.  
 1801 Pandite, Libertas pulsat, io, pandite portas."  
 1802 Talia ab excelsa prospectans turre Philippus,  
 1803 talia item relegens, ira, formidine, luctu,  
 1804 deficit, et multum diversa mente volutat,  
 1805 non jam qua regnis, capiti sed consulat aegro ;  
 1806 seu maneat, vulgi timet in sua tecta tumultum ;

1807 sive suburbanam Beagrassae cedit in arcem,  
 1808 duplex inde metus ; profugum ne forsitan hostis,  
 1809 ambiat ; et populus pejora hinc audeat exlex,  
 1810 cujus praecipuum ducis est praesentia frenum.  
 1811 Qualis multimoda variatus imagine Proteus,  
 1812 huc illuc versos novat in contraria vultus ;  
 1813 nam modo qui truncus steterat, jam mobile monstrum  
 1814 ludit, et in liquidas dilabatur igneus undas.  
 1815 Centum non aliter curas Galeatia proles  
 1816 mutat, et in nulla potis est consistere forma,  
 1817 quam saepe amplectens aliquid, tam saepe repellens  
 1818 amplexum. Tandem non ultra passus acerbam  
 1819 infelix rabiem, Superos non ille protervis  
 1820 vocibus incusat, (nulla horum cura profano,  
 1821 nulla fides), sed quam terrae imponebat et astris,  
 1822 impia Nursinae jactat convicia divae.  
 1823 Tum Furias olim praesentes, in sua diris  
 1824 fata ciet precibus, nec surdo devovet Orco,  
 1825 damnatum jam nocte caput. Nondum omnia plene  
 1826 dequesto, subita percussum bile cerebrum,  
 1827 motus eripuit cunctos et lumina clausit.  
 1828 Mors erat ; adstantes credunt tamen esse soporem  
 1829 paulisper ; dehinc ut mora jam suspecta quietis,  
 1830 dant fictos primum strepitus ; tum surgere blande  
 1831 hortantur ; mox et manibus (numquam id prius ausi)  
 1832 sollicitant ; sero tandem coepere vereri  
 1833 id, quod erat ; sed adhuc venas et pectora tractant.  
 1834 Ille pilum vellit guttasve irrorat aquarum ;  
 1835 hic frustra gelidis conclamat in auribus ; alter  
 1836 ora levi explorat jam non spirantia pluma.  
 1837 Ut satis exstinctum patuit ; non tristia ducunt  
 1838 funera ; celato, dant longa silentia, facto.  
 1839 Nec celare labor, fastu quippe ille superbus  
 1840 vixerat Assyrio, populi commercia numquam  
 1841 dignatus, lucemve pati, nec ab hospite visus  
 1842 auguro ; non ipsa virum sat noverat uxor.  
 1843 Favit et humano caeli indulgentia furto.  
 1844 Nam volucris iratus Famae tum forte Deum rex,  
 1845 (quod dejectorum Phlegraeo fulmine fratrum  
 1846 irrequieta ultrix, solito traduceret omnes  
 1847 liberius Superos, nec jam toleranda moveret.)  
 1848 Ora Deae innumeris, sine fine sonantia, linguis,  
 1849 presserat, et versas in terga revinxerat alas,  
 1850 ni mediae obsistant Parcae, trusus et ipsam  
 1851 sub Titaniacum, cognata ad monstra, barathrum.  
 1852 Hic pater Ambrosius, Ligurum qui praesidet urbi,  
 1853 multa super cara formidans gente suorum,  
 1854 nec magis hanc Veneto cupiens parere leoni  
 1855 quam flammis, ruptaeve rapi telluris hiatu,  
 1856 haec secum : "Qua nunc mea dilectissima sedes,  
 1857 defendam ratione tibi, casusve supremos,  
 1858 externumve jugum ? Simul ecce jacere Philippum,  
 1859 hostem urgere foris ; vario intus fervere motu  
 1860 quamvis incertum rapto de principe vulgus  
 1861 adspicio ; cujus letum si fabula promat,  
 1862 dum Marcellus adest ; spes deinceps nulla salutis.  
 1863 Interea quaerenda igitur medicamina morbi.  
 1864 Quae via quaerendi ? Non ipse accingier armis

1865 distulerim, ni dextra ensem sacrata refutet.  
 1866 Ibo, ibo et summum lacrimis orabo parentem,  
 1867 per mihi sudatos mundi in statione labores,  
 1868 personarum aequa pro majestate sacrarum,  
 1869 dogmate quam pravo turbaverat Arria labes.  
 1870 Spero equidem, Marco rerum si indulsit habenas,  
 1871 hanc unam servare mihi non abnuet urbem.  
 1872 Quamquam ille aeterna fixum sibi lege, ferebat,  
 1873 omnibus ut saeculis Viscontum regna manerent ;  
 1874 nostra nec Hadriacis serviret Gallia nautis,  
 1875 dum stabiles terras ambiret mobilis humor.  
 1876 Heu solus generis non eluctabile nostri,  
 1877 Marcelle, exitium ! Mortali unde ista potestas,  
 1878 ut veritas et fata retro ? Noram ipse, fatebor,  
 1879 natum te excidiis et in haec extrema meorum.  
 1880 Hinc adeo primis, unum insectabar ab, annis  
 1881 qua poteram mystes ; sed nec prius aequore toto,  
 1882 postmodo nec tantis, valui te perdere, bellis.  
 1883 Congessere omnes, quoties in te omnia, turmae  
 1884 spicula ? Quot gladiis, quot te oppugnavimus hastis ?  
 1885 Incita vibratis, te saepe falarica, nervis,  
 1886 tormentis acti petierunt saepe molares.  
 1887 Non semel ipsae imis convulsae moenibus arces,  
 1888 ipsae in te turres vasta cecidere ruina.  
 1889 Tu tamen en vivis, tam nullo vulnere laesus,  
 1890 quam Messapus equum domitor Neptunia proles,  
 1891 necdum ales Cygnus, vel jam non femina Caeneus.  
 1892 Nec tantum vivis, verum et non fanda minaris,  
 1893 imperio non jam Ligurum, tenuissima cujus  
 1894 umbra relicta tibi ; sed plane sedibus istis,  
 1895 sed mihi, sed parvo, mea quod tegit ossa, sepulcro.  
 1896 Vincis homo Divum ? Succumbimus et damus herbam ?  
 1897 Non ita. Nec magnum delubri ego limine ab hujus  
 1898 Theodosium arcuerim, nisi te, qui turbine portas  
 1899 nunc quatis has. Haud dum totas consumpsimus artes.  
 1900 Esto, sacerdoti ferrum tractare negatur,  
 1901 (nam si sensisses dudum haec quid dextera posset).  
 1902 Ablegare dolo certe permittitur hostem,  
 1903 ablegare parum fuerit. Nil scilicet egi,  
 1904 dum fuperas. Ergo et vitae discrimina texam.  
 1905 Lauda fortunam, tibi quod cum praesule bellum.  
 1906 Quam procul a trunco jam cervix ista jaceret !  
 1907 Si nihil astra valent, Stygios tentabo recessus.  
 1908 Turpiter haud ullis patriae succurritur armis.  
 1909 Quid vero commota in te mihi profuit olim  
 1910 invidia ? Et penitus delectum Acheronte sub imo  
 1911 prodigium ? Fuerat levis haud fiducia nobis,  
 1912 hanc tua pulsuram nostro fastigia collo,  
 1913 cum modo te Tuscas procul absentaret in oras,  
 1914 segnia nunc mediis revocaret ad otia castris.  
 1915 Quin et ab urbana jam longe luce remotum,  
 1916 in pecorum caulas et viles egerat agros,  
 1917 prorsus et armifero de bellatore colonum  
 1918 fecerat, ac sceptris assuetam nuper eburnis,  
 1919 cogebat rastro capulo incallescere dextram.  
 1920 At tu iterum dux ecce mihi ; feras ex duce victor,  
 1921 ex victore (nisi propero) jam eversor apertus.  
 1922 Quid tum si properem ? Restant alia, improbe, restant

1923 monstra Erebo. Juvit nil unum, plura juvabunt."  
 1924 Dixit. Et obtenta placidi venia ante Tonantis,  
 1925 (nec mihi tum nutus contra fas ire paternos)  
 1926 in nostram sese faciem transformat, et istis  
 1927 Marcellum aggreditur dictis ; veneratur amicum  
 1928 ille sibi Numen ; nec fucum ex aethere sentit :  
 1929 "Claudia gens, Tydeo mihi cura vel Hercule major,  
 1930 quid struis ? Invictis aut cur sub moenibus, ultra  
 1931 cunctaris ? Fructus, potuit qui maximus, ausi  
 1932 esse, fuit. Nec jam speres majora peractis.  
 1933 Quodsi Sforciades his te deprenat in oris,  
 1934 jam jam venturus multis cum millibus heros ;  
 1935 quam vereor, ne te nimium cessasse queraris ;  
 1936 neu tibi sola parum tua tunc Tritonia prosit.  
 1937 Finge moraturum ; solido hic si sederis anno,  
 1938 lucri non hilum facies, cum plurima perdas.  
 1939 Quot poterant castella capi, quanta oppida vinci,  
 1940 dum nihil hac aliud, nisi inanem nominis umbram  
 1941 obsidione petis, levium ambitiosus honorum ?  
 1942 Huc ades, et post me pridem cupientia velli  
 1943 signa fer, ac dextros mecum celer arripe colles.  
 1944 Jam tibi ego haud inopes tractus, jam Laria late  
 1945 litora subjiciam, mox et meliora sequentur,  
 1946 tu modo rumpe moras ; ipsum te, crede, pigebit,  
 1947 cesseris hinc quod non prius, aut huc veneris umquam."  
 1948 Talibus avertit dubium, non irrita quamquam  
 1949 pollicitus ; longinqua nihil, dum liberet urbem,  
 1950 damna movent, toto sibi quam velit orbe redemptam ;  
 1951 quidlibet amissum, salva hac, reparabile ducens.  
 1952 Nec contentus eo, furva ostia Ditis opaci  
 1953 pulsat, et huic aliud multo pollentius addit.  
 1954 Est Dea, Tartareas inter non ultima pestes,  
 1955 noctis et haec foboles ; cui jure Calumnia nomen,  
 1956 mille quod una modos fallendi, mille figuras  
 1957 noverit. Obliquos componere nulla susurros  
 1958 doctior, et falso speciem praetendere veri.  
 1959 Obscuris maculis adspergere candida rerum,  
 1960 virtutes vitiis, et recta invertere pravis,  
 1961 praestrinxisse oculos, et tamquam in retia, solers  
 1962 quamvis prudentum captivos ducere sensus.  
 1963 Facunda ad morsus, ad laudes muta canendas,  
 1964 tam caute mendax, hominum sua semper ut aptet  
 1965 commenta ingeniis ; metuit quod quilibet, illud  
 1966 auribus instillans, et quos impugnat eorum  
 1967 certa ex ambiguis compingens crimina factis.  
 1968 Numquam infesta palam, nec aperto noxia bello,  
 1969 altum securos, ac defensore carentes  
 1970 urget, et occulto petit improvisa veneno,  
 1971 piratae similis nocturnove aequa latroni.  
 1972 Heu scelus infandum ! Tu longe ignarus et absens,  
 1973 integer, innocuus, meritorum praemia forsan  
 1974 exspectas, rebus patriae feliciter actis.  
 1975 Illa tui effigiem subiens, quo fidis, amici,  
 1976 jam tibi fortunas rapuit, jam vincla paravit,  
 1977 aut Gyari scopulos, miseraeve novissima vitae.  
 1978 Moribus accedit facies ; nam callida blandos  
 1979 fert prae se vultus, et fictum subdola ridet  
 1980 exterius ; tacitae spirant intrinsecus irae.

1981 Accedit cultus. Phlegethontis sulfure tinctam  
 1982 laeva rotat taxum ; graciles sert dextra sagittas,  
 1983 tinnulus adducto, nervus nec sibilat, arcu.  
 1984 Accedunt comites ; quarum Ignorantia princeps,  
 1985 induta antevolat picea caligine nubem.  
 1986 Credulitas aurita simul, simul anxia vadit  
 1987 suspicio, et caecae Lethaea oblivio mentis.  
 1988 Tum Livor pallens et personata Simultas,  
 1989 nec non attritam tollens Petulantia frontem,  
 1990 Insidiae et Fraudes, et titillantia vanos  
 1991 verba animos, geminum stipant latus. At procul instat  
 1992 terga sequens lacero tristis Metanoea capillo.  
 1993 Talia tela gerens, tales sortita ministras,  
 1994 non furit in castris, hostesve accendit in hostes,  
 1995 pacem et tuta colens, fidos discludere nexus  
 1996 gestit, et abruptos odiis committere amores.  
 1997 Nec pagos aut rura quatit, regalibus aulis  
 1998 incubat, et magnas incognita possidet urbes.  
 1999 Hic aut judiciis interstrepit atra reorum  
 2000 pernicies ; aut se popularibus inserit undis,  
 2001 calcans depressos, obtrectans summa tenentes.  
 2002 Ista lues olim, quoties servata fuisti,  
 2003 ingratham toties fieri te, Roma, coegit.  
 2004 Carcere in Actaeo ferales ista cicutas  
 2005 miscuit, et testas inscripsit prima nocentes.  
 2006 Materiam tragicis crebro dedit ista cothurnis,  
 2007 semina dum torret, subjectum defodit aurum,  
 2008 dum docet Antiam, vel te, Minoi, pudicos  
 2009 in juvenes propriae facinus transfundere culpae.  
 2010 Hanc senior vocat, et Venetam submittit in urbem,  
 2011 Marcellum adversus. Vexillis ille reductis  
 2012 sede Philippea, victor fluviale tenebat  
 2013 jam Brevium, jam cui vulgare Briantia nomen,  
 2014 monte potitus erat varia praedivite gaza.  
 2015 Jam Barci aeriam castelli ceperat arcem.  
 2016 Ceperat et Lecchi pontem de nomine dictum,  
 2017 pontem et tergeminas pontis munimina turrets,  
 2018 maximus effundit rapidum qua Larius amnem.  
 2019 Haud procul hinc, vallo jam Lecchum cinxerat ipsum,  
 2020 quo sine nil partum merito censebat ; eodem  
 2021 omnia perdomito, circum fore tuta videbat,  
 2022 nec restaturum quicquam, nisi protinus omnes  
 2023 ut sua Cassani figant tentoria campo  
 2024 Insubrum muris ita demum posse vetari,  
 2025 ne qua e vicinis immigrarent pabula terris,  
 2026 sed nova jejuni tentent molimina cives.  
 2027 Fractura obsessum, lente dum machina, Lecchum  
 2028 advehitur ; rapit ipse leves juga in ardua turmas.  
 2029 Safena, hic valles et Valtolina subactae.  
 2030 Omnis et ora lacus, et lex imposta subactis,  
 2031 cuncta haec luciferos intra properata quaternos.  
 2032 Monstriparae interea proles Erebeia Noctis,  
 2033 in medio spargit virus furiale senatu,  
 2034 nunc alias, alias nunc ementita virorum  
 2035 aut Divum species, et totos advocat astus.  
 2036 Haec in conciliis, haec per privata domorum  
 2037 multiplici sermone serens : "Quo pristina vobis,  
 2038 Marcicolae divi, quo nunc sapientia cessit ?

2039 Unus homo rebus tanto jam tempore vestris  
 2040 praesidet. At non sic terrarum maxima victrix  
 2041 Roma, ut jactatis, vestrum caput. Annuus illic  
 2042 consul erat ; nec plus spatio dictator habebat  
 2043 semestri. Non tuta satis (dicto exitus absit !)  
 2044 Est ibi libertas, ubi cive supremus in uno  
 2045 continuatur honos. Marius cum Caesare clarum  
 2046 praebent exemplum ; repetitis fascibus alter,  
 2047 alter prolato rursus in quinquennia, factus  
 2048 auctior imperio. Quanto moderatior istis,  
 2049 qui trabeas nato populum deferre vetabat,  
 2050 erigeret Fabiam toties ne purpura gentem ?  
 2051 Nemone de tanta digne successerit illi  
 2052 nobilitate patrum ? Soliusne unica virtus  
 2053 Marcelli ? Sic ipse putat, sic castra loquuntur.  
 2054 Remigibus vobis et piscatoribus illic  
 2055 ridiculum nomen ; ducis ille vocabula solus  
 2056 obtinet, et vestris crescit sua gloria probris.  
 2057 Scilicet ante annos, veluti Corvinus et ambo  
 2058 Scipiadae, summos, capiat Marcellus honores !  
 2059 Deplanet tumulos, et montes naviget altos !  
 2060 Servitio populos, et sceptrum oblata recuset !  
 2061 Nec penetrata ulli transcendat flumina primus !  
 2062 Postremo (ne quid desit) Carthaginis ipsas  
 2063 assultet portas, et famam terminet astris !  
 2064 Vos pecus ignavum, verbosae ingloria pacis  
 2065 turba senescatis. Sin rauca ad classica quando  
 2066 vel legatus eas ; illudat lixa protervus,  
 2067 quod toga longa tibi, quod equo male cernuus haeres ;  
 2068 certe idem vobis, aut et generosior ortus.  
 2069 Nec dextra ille prior, nec mentis acumine major.  
 2070 Adde quod assiduae tantum erexere tumentem  
 2071 praesecturae animum ; jam solus ut omnia verset,  
 2072 permissi haud quaquam contentus limine juris  
 2073 Gattamelata prius, Michael nunc vestra gubernant  
 2074 agmina, provisor tantum Marcellus in illis.  
 2075 Nomine quo externis civem ductoribus unum  
 2076 jungere mos vobis, qui pro quaestore venusto,  
 2077 subvehat arma, cibos, vestem dispenset et aurum,  
 2078 non qui acies struat, aut cuneos huc raptet et illuc.  
 2079 Hic, decus et rerum summam, sibi vindicat uni,  
 2080 foedera, quando libet, sancit ; fert ordine nullo  
 2081 signa, refert eadem, spreto rectore, superbus.  
 2082 Quodsi quis contra, quamvis clarissimus, ausit  
 2083 praecipitem mutire virum ; manus illicet auso  
 2084 injicitur, dictisve rubet laceratus amaris.  
 2085 Quis, precor, indubitet, quo tanta licentia tendat,  
 2086 prospiciat ni vestra suae cito cura saluti ?  
 2087 Haec passim inculcat magnam, Dea foeda, per urbem.  
 2088 Protinus invidia magis hinc flagrare maligni,  
 2089 formidare simul timidi ; pars sanior aequo  
 2090 nititur, et dubio prohibet rumore moveri  
 2091 nec praepudicium quemquam damnare, sed omnem  
 2092 legitima, causam jubet ante expendere libra.  
 2093 Mittitur extemplo Marcelli cognitor actis.  
 2094 Nec valet austeram quicquam perstringere lima,  
 2095 inter facta viri nil non ratione gerentis.  
 2096 Haud tamen idcirco liventum insana residunt

2097 murmura ; principio Lecchum ne vincere possit,  
 2098 suppeditare inhihent, dura oppugnatio quicquid  
 2099 exigit. Hinc quamvis etiam nunc ferveat aestas,  
 2100 intempestivae dant praematura quietis  
 2101 otia, ceu lassis per tot jam bella catervis.  
 2102 Vix defixa tuas citra, pater Addua, ripas  
 2103 vexilla, anguigeri cum mors allata Philippi,  
 2104 emissa, tandem tunc primum prodita, Fama.  
 2105 Exspectare aliis visum praecepta, sed horae  
 2106 momento gnarus variari commoda rerum  
 2107 Marcellus, raptas muris Laudensibus alas,  
 2108 ocior impingit Zephyris, et luce sub una,  
 2109 urbe simul potitur, lati simul arcibus agri.  
 2110 Sub juga te mittit simili inde, Placentia, cursu,  
 2111 Ticinum missurus item, ni Sforcus heros  
 2112 anticipet, tradente socru. Conduxerat illum  
 2113 sollicitus frustra de libertate tuenda  
 2114 Insubrum populus. Patres, Marcelle, monebas,  
 2115 auferent castris numerum ; quibus ante Philippum  
 2116 praesectis valuit, Marco servire paratos ;  
 2117 quos si suscipimus, certa est victoria nobis.  
 2118 Consilium tumido despexit Curia fastu,  
 2119 Italiae jam se dominam rata ; nec fore quemquam  
 2120 in terris, qui jam tantis successibus obstet.  
 2121 Nunc sibi bellantum satis ac super esse, levandos  
 2122 tot potius sumptus. Sic addita copia parti  
 2123 oppositae ; multo sic Sforcia milite crevit,  
 2124 ut jam congressum Michaelis tarda senectus  
 2125 horreret, nec se venienti opponeret hosti,  
 2126 (dum te is Lambre minor, dum te mox Addua major  
 2127 transgreditur), sed praeveniens in terga rediret.  
 2128 Bis tamen explicuit structas in proelia turmas  
 2129 Marcellus ; medios bis rupit Sforcia pontes,  
 2130 non ausus conferre manum. Sedet altera longe  
 2131 cura animo ; soceri meditans invadere regnum,  
 2132 nec sibi rem Veneto facilem sine foedere cernens,  
 2133 Marcelli alloquium studio flagrante petebat,  
 2134 multum progrediens, si quando admota coissent  
 2135 arma, et ferventem vestigans lumine campum.  
 2136 Detorquere alio cursum tunc noster, et intra  
 2137 agmina densa virum notas abscondere cristas,  
 2138 ne quam oblatrandi caperet furor aemulus ansam.  
 2139 Ille autem, postquam sperato nulla facultas  
 2140 colloquio ; scriptis et per mandata precari,  
 2141 imparis acciperent sese in consortia vincli,  
 2142 Non ex dimidio socium, sed paene ministrum.  
 2143 Possideant ipsi mundum, sibi pauca relinquunt.  
 2144 Marcellus certum faciebat rite senatum,  
 2145 omnia significans ; ni significata repellat  
 2146 jamdudum adverso, durata superbia, fato.  
 2147 Invisis ut qui furtiva incendia tectis  
 2148 molitur, siluit cum nox et fortior auster  
 2149 spiravit ; tunc ille faces, tunc arida subdit  
 2150 rimosae fomenta trabi ; vix abditus antro  
 2151 delituit ; rapidae superant jam culmina flammae.  
 2152 Haud secus arrepto, Cocytia tempore virgo :  
 2153 "Proditor ! Exclamat, (vel nunc advertite patres)  
 2154 proditor ille inquam. Nec dissimulata, patescunt

2155 coepta ; adeo clare peccat temerarius ardor,  
2156 nil argumentis, nil ultra testibus ullis  
2157 ut sit opus. Famulos ad quem sic missitat hostis,  
2158 a quo sic recipit ; non jam suspectus haberi,  
2159 confessi debet sceleris reus. Est vetus illis  
2160 inter se (noristis) amor, par ambitus olim  
2161 amborum ; taciti struitur concordia pacti,  
2162 huic Ligures, Venetos huic donatura regendos.  
2163 Horror ad haec animis obicem properare periclo,  
2164 non jam in praetensum statuunt inquirere crimen,  
2165 itur diversis, subita in suffragia, votis,  
2166 discolor et duplicem, jactatur nodus, in urnam.  
2167 Mitior evicit sed adhuc sententia ; poenam  
2168 noxa alias subeat, nunc frenum audacia sumat.  
2169 Ergo, qui numquam fuerat datus ante tot annis,  
2170 adjicitur collega viro. Tacet ille modeste,  
2171 non aliter quam qui, Minuci, te pertulit aequum."  
2172 Dein, gliscente malo, trepidus clam scriba vocatur,  
2173 conscius ignari, canat ut secreta, patroni.  
2174 Quo nondum viso, nedum in tormenta levato,  
2175 ipse magistratu propere decedere solus  
2176 castrensi, et (medio sibi quae provincia nuper  
2177 obtigerat bello) Veronam intrare jubetur.  
2178 Heu quae tum lacrimae ! Qui per tentoria planctus !  
2179 Non hoc nupturam, pubes aequaeva, sororem  
2180 prosequitur gemitu ; non sic rudis ejulat infans,  
2181 cui placidus longinqua parens trans aequora tendit ;  
2182 non ita natorum lugent ad funera matres.  
2183 Quas singultanti Michael dedit ore querelas !  
2184 Amplexu retinens abeuntem, nunc sibi raptum  
2185 omne decus, summo nunc se certamine vinci !  
2186 Optimus in cara quantum cervice pependit  
2187 gentilis ! Largo suspirans talia fletu :  
2188 "Quid peregrina mihi, quid jam super arma secuto  
2189 Marcicolum ? Quem parva procul Leonessa creavit ;  
2190 Haec consanguineo referunt si praemia civi,  
2191 tam bene praesertim merito de gente suorum,  
2192 quam de Romulidis nec ductus ab Hercule sanguis  
2193 nec meruit pariter Cornelia tota propago.  
2194 I, longum felix, et adhuc sublimior illis,  
2195 qui revocant. Luet hanc,luet hanc tibi patria culpam  
2196 plus etiam quam tute velis." Non prospera diri  
2197 omina firmarunt tonitrus et in aethere fulgens  
2198 Hydra Cleonaeo visa insultare leoni.  
2199 Ille notae impatiens, Veronam parte sinistra  
2200 deserit et recta sese ad non mite tribunal  
2201 praesentat, qua torva decem sedet ira virorum,  
2202 nil leve discutiens, sed si quod sanguine dignum  
2203 exiliove nefas ; quales Rhadamanthus et asper  
2204 Aeacus, et rigido gravior Minoe Lycurgus,  
2205 mandandasve cani Stygio, Furiisve secandas  
2206 cum saepe addicunt animas. Procul ipsa piorum  
2207 septa tremunt ; necdum regresso Castore, Pollux  
2208 aufugit, et medios rumpit Proserpina menses.  
2209 Marcellus vultu nihilominus adstitit illic  
2210 haud alio, Argolici quam dura ad jussa tyranni,  
2211 non trepidus, tristis tamen apparere solebat  
2212 Amphitryoniades ; recti sibi conscia virtus

2213 letiferum nil Theta pavet ; miserescere plebem  
2214 indigna affecti macula. Latitare silentes  
2215 passim carptores. Flet plurima turba, nec umquam  
2216 adjurant habuisse fidem. Quaestoribus ipsis  
2217 jam pudor ; insontem clamant et abire precantur.  
2218 Instat Marcellus, quae sint ea crimina poscens,  
2219 nec discessurum, nisi cognitione peracta,  
2220 vociferans. Tandem proponunt pauca coacti,  
2221 quae purget, quando ipse velit. Nil ille moratus,  
2222 ordine respondet : "Numquam pulsasse Tibertum,  
2223 saepius id quamvis meritum ; delicta furentis  
2224 sustinuisse magis nimium patienter ; id unum  
2225 cum Michaele sibi non convenisse frequenter,  
2226 plus utri deferret uter, dum mutua cedunt,  
2227 cultibus alternis pia dum reverentia certat.  
2228 Testes nolle alios, nisi quos laesisse feratur,  
2229 nil tot missorum vicibus, sese inter et hostem  
2230 tractatum, quam quod toties perscripserit ipsis,  
2231 non solum auditus numquam, verum inde notatus  
2232 praecipue. Faxint Superi ne sero fidelis  
2233 pareat ! Et melior fuerit sententia patrum !  
2234 Jam vero Adduacas, tamquam disvaserit, undas  
2235 olim transiri, quis jure objecerit illi,  
2236 persuasor facti fuerit qui solus et auctor ?  
2237 "Suasi ego tunc, inquit, nec parva hinc gloria rebus  
2238 accessit Venetis. At non ea flumina nuper,  
2239 me suadente, forent retransita ; turpiter hostis  
2240 ne premeret refugos, quos stantes ante timebat."  
2241 Haec super innumeras aures adducit, et actis  
2242 signatas profert tabulas ; vox praedicat omnis  
2243 non jam absolvendum, titulis sed in astra ferendum.  
2244 Tunc et ab autumnii decurrens lucida portis  
2245 Astraea, et terras iterum dignata relictas,  
2246 inferno excitum supera de sede fugavit  
2247 portentum, et tristi rursus demersit Averno.  
2248 Indiciis sic qui fuerat delatus iniquis  
2249 non modo dimissus, sed et amplis laudibus auctus,  
2250 festa triumphales inter referentia plausus,  
2251 te, Verona, petit ; cum tota Oenotria dudum  
2252 jam deplorasset percussus vindice ferro.  
2253 Nec tarde, aut levibus perceptum deinde periculis,  
2254 in castris quanti Marcellus ponderis esset.  
2255 Non vigor ille animis, non disciplina, nec ordo  
2256 pristinus. Hic olim pastore carentibus error  
2257 armentis, nullo fluitat sic cymba magistro.  
2258 Continuo huc illuc pretio conducta juvenus  
2259 dilabi, ac totae crebris rarescere turmae  
2260 transfugiis ; reliqui, Tyriis ceu dentibus orti.  
2261 Dissentire sibi ; nusquam hostem sistere contra,  
2262 sed trepido fugitare metu, quasi nulla tenentes  
2263 arma manu, ac longe visos horrere colubros.  
2264 Inde Placentinae vulnus miserabile cladis  
2265 principium tantis dubium nec praebuit omen  
2266 casibus ; obsessam non aequis viribus urbem  
2267 Sforciades ab aquis pariter dum pulsant et arvis,  
2268 divi implorantem modo cognita nomina Marci,  
2269 impia crudeli permisit inertia praedae.  
2270 Haud umquam in terris tam lamentabile quicquam

2271 spectavit gemino discurrens cardine Phoebus ;  
 2272 nec cum Byrsa solo jacuit Sidonia, nec cum  
 2273 exsuperans Libycam feritate Numantia Byrsam.  
 2274 Teucra nec tanto flagrarunt tecta tumultu,  
 2275 cum meus arcanas decepta in Pergama pugnas  
 2276 parturiit sonipes, et agenti gaudia Trojae  
 2277 inclusa abiegnis irrepsit Graecia costis.  
 2278 Quicquid avarities, quicquid violentia, quicquid  
 2279 foeda libido potest, cumulum tunc venit in unum.  
 2280 Nulla domus postes habuit, distracta supellex ;  
 2281 matronis decus et teneris erepta puellis  
 2282 integritas, data sacrilegis templa ipsa rapinis.  
 2283 Quae digito tetigisse nefas, confracta profana  
 2284 vasa manu, et medias quadrupes stabulatus ad aras.  
 2285 Nec Siculo detracta joco, vel palla Tonanti  
 2286 aurea, vel posita genitorem reddere jussus  
 2287 Haemonius barba juvenis ; simulacra Deorum  
 2288 tota liquefacto, penitus conflata, metallo.  
 2289 Cetera formarum ferro discussa sacrarum  
 2290 materies, latebris dum vestigatur et illis  
 2291 thesaurus. Tum quas Vestalibus alba dicavit  
 2292 vitta focis pepulere Deas, non nota ferentes  
 2293 dedecora ; et tenuit Liparaeos Jupiter ignes !  
 2294 Heu nimis augurio, fundata Placentia, laevo !  
 2295 Moenia populifer tua dum praeterfluet amnis,  
 2296 hanc memori lucem servabis pectore, mites  
 2297 Hannibalis cursus et Punica tempora laudans.  
 2298 Non minor insequitur deletis plaga Liburnis.  
 2299 Vecta Pado classis, stupeant Neptunia quantam  
 2300 caerula, quam sero captae subvenerat urbi,  
 2301 Tam propere capta ipsa perit ; quam forte Cremonae  
 2302 Sforcia tum metuens, subductam paene, nec ullo  
 2303 terrestri auxilio fultam (trans Ollia turpis  
 2304 flumina Marcicolas timor egerat), impete magno  
 2305 assilit, haud multas fluviali a parte carinas  
 2306 immittens, totis terra legionibus instans.  
 2307 Ergo ubi fulmineus transtris late incidit imber,  
 2308 attoniti partim contermina in oppida nautae,  
 2309 in silvas partim, remis fugere relictis.  
 2310 Effugere tamen minime, sed prorsus et ipsi  
 2311 omnibus extracti latebris, et perdita cunctis  
 2312 oppida cum ratibus ; sic dulci in gurgite Mavors  
 2313 abstulit, aequoreae quas non fregere procellae.  
 2314 Haec inter Venetas discordia saeva cohortes  
 2315 jactitat, et vallo non ausi promere vultum,  
 2316 intus depugnant, tantum ad civilia fortes  
 2317 proelia : ductorum nullus pudor, insuper atrox  
 2318 in Provisores odium. Bona diripit hujus  
 2319 improba seditio. Saxorum nimbus in illum  
 2320 grandinat ; aegre alius strictos subterfugit enses,  
 2321 ceu conjurata Marcellum vindicet ira  
 2322 tota phalanx. Jam qui succedere nuper avebant,  
 2323 signorum imperiis, conversi odere curules  
 2324 sic prius ambitas ; reditum, quam laurea, malunt  
 2325 sarta comis. Ventum vix ad tentoria ; solvi  
 2326 militiae aerumnis orant et more sinistro,  
 2327 menstrua diversos, mutat Praetura, regentes,  
 2328 nec cuiquam indictae possunt jam obtrudere multae

2329 letale officium ; Donati gloria donec  
 2330 stemmatis Hermoleos, rerum suscepit habenas.  
 2331 Hic dum Verona transit : "Clarissime nobis  
 2332 consule, ductor, ait, mandati in munere juris  
 2333 quid sequar aut fugiam ; primis nunc imbuor armis  
 2334 en ego tiro senex, placidos cui classica somnos  
 2335 insueta abrumpant ; viridi tu miles ab aevo."  
 2336 "Non ego, Marcellus reddit, sat idoneus et par  
 2337 consuluisse tibi, nostrae qui lumen es urbis,  
 2338 ingenio cujus nulla experientia major.  
 2339 Ne tamen omnino tanti adspernemur amici  
 2340 jussa ; triplex illic hominum genus esse monemus,  
 2341 una senum species, quibus olim frigidus alget  
 2342 sanguis et antiqua formidine corda tremiscunt,  
 2343 devictos etiam quod se meminere frequenter.  
 2344 Hinc nihil ipsi audent, aliis audere nec umquam  
 2345 indulgent, segnes et quamvis tuta timentes,  
 2346 ut cum Thaddaeo Michael. Pars altera, pugnae  
 2347 exserti juvenes, et quorum non ita celsus  
 2348 hortantes ; altae pariant quo laudis honores.  
 2349 Nempe haud ignorant, licet ipsi grandia clament,  
 2350 gesturos nil tale tamen, qui summa gubernant.  
 2351 Quod si sorte gerant, minimum se perdere, qui sunt  
 2352 inferiore loco, peccati nec sibi culpam  
 2353 appendi ; at si qua Deus adspiraverit ausis,  
 2354 tum vero exsultant tumidi popularibus auris.  
 2355 Tertia temperiem medio moderamine servat  
 2356 condicio, ut tractu vitalis Zona benigno,  
 2357 cui gelida inde nives, hinc torrida commodat aestus,  
 2358 qualis cum nostro bonus est Gentile Rubertus  
 2359 fidi ambo , et semper miscentes fortia cautis.  
 2360 Auscultandi omnes, tantum ultimus ordo sequendus,  
 2361 iudicio cunctos internoscente sagaci.  
 2362 Unum supra alios caveas, praedico, Tibertum  
 2363 quam potes attente, quo non fallacior alter,  
 2364 nec magis invidia, magis ambitione supina  
 2365 inflatus ; finget totum explorasse ; per omnes  
 2366 jurabit Superos ; at tu ne credulus esto  
 2367 ambiguas sortes vatum de more canenti.  
 2368 Ille quidem sumptis, miles non impiger armis,  
 2369 verum consiliis nemo aequae futilis auctor.  
 2370 Non monitus ea dicta viri, sed certa fuerunt  
 2371 oracla, et folio veracis digna Sibyllae.  
 2372 Felix Hadriaci nimium res publica ponti,  
 2373 haec si tum servata forent ! Servare repertor  
 2374 sed poterat solus. Confestim scribere retro  
 2375 candidus Hermoleos Marcellum poscere reddant,  
 2376 nil successurum, ni castris ocius adsit,  
 2377 non secus ac medicus jam deficientibus aegris,  
 2378 esse ignomiviae sibimet quae suadeat ; at ne  
 2379 subticeat verum patriae discrimine cogi.  
 2380 Hisce remittendus decerni coeperat, et jam  
 2381 atria purpurei complerant picta togati ;  
 2382 interea cum fusae acies, exercitus omnis  
 2383 prostratus, cuncta extrema collapsa ruina.  
 2384 Causa et origo mali prima et prope sola Tibertus,  
 2385 hostilem modo se campum mentitus agresti  
 2386 perlustrasse habitu, plena dum corbe rubentes

2387 venum fert uvas ; tunc, tunc invadere inermes  
 2388 tempus, ait, securo cibo dum corpora curant.  
 2389 Limes erat tenuis, quem parte rigabat ab una  
 2390 crassa palus ; aliam clivoso vertice collis  
 2391 desuper umbrabat, post area lata patebat,  
 2392 decertaturos satis explicitura maniplos.  
 2393 Hunc Venetus collem, reduci si forte receptu  
 2394 mox sit opus, nulla tutum statione relinquens,  
 2395 irruit, adverso qua propugnacula vallo  
 2396 lignorum transversa dabant ; fortassis et ipsas  
 2397 intrasset portas ; nisi destituente Tiberto,  
 2398 cessissent primi, subito excubitore repulsi.  
 2399 Spes ubi conceptas fallunt exordia, raro  
 2400 cetera proveniunt. Nam postquam Sforcius heros,  
 2401 (quem tum prandentem talis turbarat adortus)  
 2402 mente recollecta, peditatum eduxit, et una  
 2403 cristatos equites ; fuga sit foedissima late,  
 2404 nec cuiquam tutas, fas intra evadere, fossas ;  
 2405 pennatarum instar volucrum pelagive natantum,  
 2406 quas circumducto claudunt cava retia nexu,  
 2407 capti omnes ; rarus vitavit vincula ductor,  
 2408 neuter provisor, spoliis plebs missa receptis.  
 2409 Elabi Hermoleos poterat, sed conscia magni  
 2410 nobilitas generis, posuit decus ante salutem.  
 2411 Ultimus et tanta bellator Coleo turba,  
 2412 in nemus abscisis, vicinum conditur, armis  
 2413 more lupi, socio quem solem ex agmine pastor  
 2414 urget, et hinc telis medium premit, inde molossis,  
 2415 ille diu retinente fame, pellente tumultu,  
 2416 cunctatur, multum dubitans ac saepe resistans,  
 2417 versus ad extremum silvae succedit opacae.  
 2418 Fama rei nondum populi percusserat aures,  
 2419 cum pater e summo delubri culmine Marcus,  
 2420 prospiciens terras Ligurum, sua vulnera vidit,  
 2421 vidit et horribilem vasto gemebundus hiavit  
 2422 murmure rugitum ; freta tota et proxima tellus  
 2423 intremittit, adversus redit in numerosa Timavus  
 2424 ora ; cavernosae responsant eminus Alpes.  
 2425 Tum quae demisso residebat languida collo,  
 2426 dilaniat, pro crine, jubam ; perit ira retusis  
 2427 dentibus, et plantis unguis latuere reducti.  
 2428 Dant pariter fratres gemitum ; Jovis ales obunco  
 2429 avellit plumam rostro ; lacrimabile mugit  
 2430 Taurus, et humana flet quartus imagine consors.  
 2431 Hymnisonae cessant voces, ac triste per auras  
 2432 mystica viventum stridet compago rotarum.  
 2433 Ipse aliquantisper dubius, caeline rogaret  
 2434 an telluris opem ; lugubre rubentibus alis  
 2435 tollitur, et superans Athesin, praetoria cursu  
 2436 Veronaea subit ; grandes ubi pectore curas,  
 2437 rerum ignarus adhuc, secreta in sede coquebat  
 2438 Marcellus ; duri nunc publica damna duelli,  
 2439 nunc nova privati volvens opprobria casus.  
 2440 Tum prior, (agnovit siquidem, licet horridus angor,  
 2441 Punice sacros mutaverit oris honores.)  
 2442 Numine adorato sic, maestus et ipse profatur :  
 2443 "Alme parens, urbis tutela haud irrita nostrae,  
 2444 ut te ego nunc primum post tanta pericula nobis

2445 visum, cerno libens ; tibi, nam tibi conqueror uni,  
 2446 praecipue indignum passus livoris iniqui  
 2447 dedecus ; o ubi tunc mihi tu, justissime Divum,  
 2448 ultima cum nuper cervicis quaestio nostrae  
 2449 penderet ? Tamquam modo Carmaniola necatus,  
 2450 parva tuis esset longo nota civibus aevo.  
 2451 An fortasse meos venisti, optate, dolores  
 2452 vel nunc solari, leviter foturus acerbum  
 2453 vulnus, et hunc habitum tibi nostra injuria fecit ?  
 2454 Cur ego non umquam mediocri de grege civis,  
 2455 sed semper vel summa tenens, vel mersus in imo ?  
 2456 Da, precor, angusti, procul a civilibus undis,  
 2457 otia secessus, ac me permitte parumper  
 2458 ingratae irasci patriae. Non Cinna cruentus,  
 2459 Sylla nec esse peto ; satis est si Scipio fiam.  
 2460 Sit mihi Mons Silicis, Linternum quod fuit illi,  
 2461 quandoquidem quorum classes perduntur et urbes  
 2462 auspiciis, fidi magis et meliora merentes.  
 2463 Plura locuturum sacer hac leo voce secutus :  
 2464 tunc regnum Italiae Stygiarum fila sororum  
 2465 invidere mihi, cum te, fortissime, nostris  
 2466 improba fraude nova castris submovit Erinnyes.  
 2467 Tunc, inquam ; tamen haud plagis adhibere medelas  
 2468 nunc, Marcelle, tuis ; graviore addere curas  
 2469 venimus, et patriae luctus aperire recentes.  
 2470 Illa tibi nostro solacia magna rependit  
 2471 indicio, cum te, sollemni lege rogata,  
 2472 consensu tanto, mendaci crimine solvit.  
 2473 Foscarus ipse tuas percensuit ordine laudes,  
 2474 haud alias functus praeconis munere Princeps.  
 2475 Primum, cuncta aliter, licet acri examine facto,  
 2476 quam fuerant objecta tibi, patuisse professus.  
 2477 Adjecit pariter, quantum a puerilibus annis  
 2478 sudarit tua dextra mihi ; quam saepe ruisset  
 2479 res mea, labentem nisi tu cervice subisses,  
 2480 magnus ut Alcides lassati pondus Atlantis.  
 2481 Quare cum major sit honos, sic esse solutum,  
 2482 sic accusatum quam infamia ; parce querelis.  
 2483 Pone truces animos ; injustas juvit Athenas  
 2484 exsul Aristides ; juvit servantior aequi  
 2485 Cliniades ; lentum nec vincla paterna Cimonem  
 2486 fecerunt ; poto Neoclides sanguine tauri  
 2487 occidit, infestos ne laederet ultor Achivos.  
 2488 Jam quantas matri donavit Marcius iras,  
 2489 Oenides nuptae, caeso dux Phthius amico ?  
 2490 Nec quicquam in Latiis tam clarum annalibus exstat,  
 2491 quam profugi pietas et mansuetudo Camilli ;  
 2492 victores muris Senonas qui depulit illis,  
 2493 quis depulsus erat, redimi nec pertulit auro  
 2494 urbem, quae modici sese damnaverat aeris,  
 2495 turpe ratus miseris odio insultare tenaci.  
 2496 Hic tibi prae cunctis hodie, Marcelle, sequendus.  
 2497 Allia nunc quoniam nobis Caravaglia tellus,  
 2498 nostra premunt quoniam saevi Capitolia Celtae,  
 2499 Bojorum in campis robur jacet omne meorum.  
 2500 Sforcia victrices, vada jam trans Ollia, turmas  
 2501 promovet, et totum quicquid tellure tenemus  
 2502 erepturus adest ; in te spes unica nobis,

2503 in te, qui solus suprema pericula nosti  
 2504 propulsare tuis. Oblitus surge priorum,  
 2505 compesce elatum nimiis successibus hostem.  
 2506 Esto Epaminondae, Sparten post Leuctra petenti  
 2507 alter Agesileos ; noscant aequaliter, illinc  
 2508 Sforciades, alios quod vicerit ; inde senatus,  
 2509 quantum perdiderit, cum te revocavit ab armis.  
 2510 Haec ubi ; non ultra Marcellus verba ; sed altis  
 2511 erumpit portis et Mincia flumina visit.  
 2512 Haud mora, declives, (vada qua minus ardua) ripas,  
 2513 erigit, et subita statione coronat agrestum.  
 2514 Bergomon hinc scriptis, et te fidissima firmat  
 2515 Brixia, porro diu residem deducit et armat  
 2516 Benaci classem, belli monumenta prioris,  
 2517 egregie ista quidem ; verum consultius illud,  
 2518 quod misera elapsos cernens de clade, rapinis  
 2519 omnia foedantes (sic impellebat egestas).  
 2520 Primum compressit, post et collegit et aptas  
 2521 sparsit in excubias, parco prius aere refectos.  
 2522 Tum demum ad Paridis natos, (Paris ipse jacebat  
 2523 jamdudum tumulo) per saxa asperrima solus  
 2524 currit, et offendens hostilibus ante venenis  
 2525 infectos, rigidis miscendo blanda reducit,  
 2526 commemorans, Paridem sibi quod consenserit olim,  
 2527 factum de tenui demum latrone potentem.  
 2528 Illum saepe suis defensum viribus, illi  
 2529 aequoreas sese scopulis traxisse carinas.  
 2530 Ipsos patrono, minus haud debere, paterno  
 2531 fidere ; qui nullum fictis seducere verbis  
 2532 noverit aut soleat, cui praestita gratia numquam  
 2533 par rediit, magno sed vicit fenore sortem.  
 2534 Multa prius Venetos Fortunae vulnera passos,  
 2535 attamen e nullo non emersisse periculo.  
 2536 His postquam juvenum stabilivit corda duorum,  
 2537 omnia nota facit patribus ; quos anxia tanti  
 2538 attonitos casus jam pridem cura tenebat.  
 2539 Consultant tristes, jungunt nocturna diurnis  
 2540 tempora ; vota Deis faciunt ; via nulla salutis  
 2541 panditur, et sensus mala confudere fagaces.  
 2542 Marcelli lectis multum recreata tabellis  
 2543 pectora ; nunc omnes semet damnare, quod umquam  
 2544 campo amovissent hominem qui viderit unus  
 2545 tam cito, quod multi longum reperire nequissent.  
 2546 Illum de Veneta solum esse propagine, cujus  
 2547 aetheria membris infuderit arce Prometheus  
 2548 solertem radium, reliquis Epimethea patrem.  
 2549 Proinde viro a cunctis dictandi summa potestas  
 2550 traditur, et totae bellorum ac pacis habenae.  
 2551 Siccine mutatis, sero respiscere cives  
 2552 mentibus incipitis ? Cum plena ferentibus auris  
 2553 vela tument, docto praefertur nauta magistro.  
 2554 Cum ratis extrema jam tempestate fatiscit,  
 2555 tunc iterum spretae redduntur aplustria dextrae.  
 2556 Heus ubinam vobis paulo prius ista voluntas,  
 2557 lucebat vestris cum tota Insubria flammis ?  
 2558 Marcellus, cui nunc permissa licentia rerum,  
 2559 nempe modo suspectus erat. Numquamne furentes  
 2560 condiscent populi, non tollere cornua laetis ?

2561 Ancipiti nec sorte fidem librare regentum ?  
 2562 Ille recusatos, postquam cogente periclo,  
 2563 suscepit fasces ; capit opportuna locorum  
 2564 praesidiis, rapido levior qua transitus hosti ;  
 2565 tum se subsidio venturum in tempore, maestis  
 2566 promittit sociis ; tolerant modo pauca fideli  
 2567 robore, mox pulsa rediturum nube serenum.  
 2568 Nec Phaethontaeae citius fragmenta ruinae  
 2569 torvus restituit genitor, quam corpus in unum,  
 2570 agmina Marcellus sparsa et lacerata redegit.  
 2571 Rursus jam campis acies, vibrantia rursus  
 2572 stridenti vexilla noto. Caligine caelum  
 2573 conditur, et virides levis ungula proterit herbas.  
 2574 Sforcia, qui cunctis media in regione subactis  
 2575 jam Cenomanorum caput obsidione premebat,  
 2576 contra stare videns, quos desperare putabat,  
 2577 nec tantum Venetos cupiens evertere, quantum  
 2578 desertos propriis Ligures submittere frenis,  
 2579 Marcello jam, te liquidissime Mella, petenti,  
 2580 ecce repens nostrae pacalem mittit olivae  
 2581 implicitum vittis ramum ; quod foedera victor  
 2582 affectet, ne forte metum, sed vota merendi  
 2583 censuerint ; se Marcicolis bellasse coactum  
 2584 hac etiam tenuis. Id certo satis inde probari,  
 2585 quod prior a victis pacem roget, haud ita magno  
 2586 mercandam ; illorum nil velle abscindere rebus :  
 2587 quae sua sunt, teneant, dum tantum non sua donet.  
 2588 Id simul ad patres Marcellus rettulit, ingens  
 2589 confestim laeto sublatus murmure plausus.  
 2590 Mutua tum tales sanxit concordia leges :  
 2591 quicquid post pugnam cepisset Sforcia proles,  
 2592 redderet, accepto, non parvi ponderis, auro.  
 2593 Hadriaci, nummis et millibus octo virorum  
 2594 auxilio sibi sint, soceri dum subjuget urbem.  
 2595 Altera conducat neu pars, quos altera missos  
 2596 fecerit. His tandem bellum exitiabile pactis  
 2597 compositum, ac Venetis regnum terrestre retentum.  
 2598 Haec ego de priscis Marcelli noscere gestis  
 2599 te volui : subiere quidem permulta relatu  
 2600 digna ; sed haec tibimet praesens meminisse facultas.  
 2601 Nam te Pannoniis, Heliconius ardor, ab oris,  
 2602 tempestate sub hac Italo jam invexerat orbi.  
 2603 Nempe tenes, dux ut missis ex foedere turmis  
 2604 Sforcigenae Marcellus iit. Ut regis Iberi,  
 2605 cui testamento legarat sceptrum Philippus,  
 2606 agmina contrivit ; pinguem tutantia Parmam  
 2607 agmina contrivit ; Parmam servire volentem  
 2608 Marcicolis, hosti jussit servire futuro.  
 2609 Eruit ut Bembum, taetro de carcere, Petrum,  
 2610 concivem paulo ante suum, tunc vincla ferentem  
 2611 hostica ; Marcello sic alter Culeo Petrus,  
 2612 Culeo, quem gratum servator Scipio sensit.  
 2613 Nec plus Flaminium reduces coluere Quirites,  
 2614 Graecia servitio quos illi emissa redemit,  
 2615 cum subitos avium stupuerunt Isthmia lapsus.  
 2616 Scis non alterius quod capta Novaria ductu,  
 2617 nec trino fracti fuerint certamine Galli.  
 2618 Scis Picininorum quod Sforcia fraude perisset,

2619 Marcelli hanc solers ni praevidisset acumen,  
 2620 nudasset sincera fides. Hinc ille parentem  
 2621 nunc etiam vocat, ac tantum debere fatetur,  
 2622 Alcidae quantum Theseus Acheronte reductus.  
 2623 Consiliis et multa hujus qui gesserat olim,  
 2624 omnia tunc plane gessit ; seu longius alas  
 2625 spargeret, admoto, premeret seu moenia vallo.  
 2626 Sed quamvis ipsos concors tam cura ligasset,  
 2627 quam nec Ledaeos, caelestia signa, Laonas,  
 2628 cum tamen id tacito mandasset curia jussu,  
 2629 Sforciadae extemplo Marcellus castra reliquit,  
 2630 officia antefrens privato publica vinclo.  
 2631 Causa relinquendi, quod multas foedera contra,  
 2632 ille sibi adscierat, conducto milite, vires.  
 2633 Nec de secessu tali vel proxima quicquam  
 2634 turba prius sensit Ligurum, vel Sforcia vafro  
 2635 vafrior Autolyco ; rebus quam luce relectis,  
 2636 conspexit longe socios rutilare leones.  
 2637 Haud aliter geminis, uno Nero callidus astu,  
 2638 imposuit Poenis, cursu cum praepete vectus,  
 2639 hunc abiens, illum veniens, eluderet hostem.  
 2640 Tum juncti Ambrosidis Veneti, sed commoda serum  
 2641 nulla tulit foedus ; quippe illos saevior arta  
 2642 obsidione fames, ambabus et addita pestis,  
 2643 libertate brevi, multa inter dura, potitos,  
 2644 adstrinxit tandem genero parere Philippi.  
 2645 Fors et Marcicolas tenui solata lucello.  
 2646 Nam parta, impensas bellorum, Crema resarsit,  
 2647 quam modo qui Marci primus sub jura vocarat,  
 2648 primus non unum rexit Marcellus in annum.  
 2649 Verum nota tibi satis haec ; sed notius illud,  
 2650 his etiam ; soceri quod cum vix Sforcus heros,  
 2651 sedisset solio, Venetorum Marte petitus,  
 2652 Marcelli egregia virtute recentibus esset,  
 2653 exactus regnis, si non rex inde Renatus,  
 2654 gaesiferis illum juvisset ab Alpe catervis ;  
 2655 hinc opibus, terrae moderator Cosmus Etruscae,  
 2656 Cosmus divitiis Crasso contendere pollens,  
 2657 Cosmus, cui tactu cedat Mida, Jupiter imbri.  
 2658 Nunc vero Ausoniam pax instaurata per omnem,  
 2659 vulnificum ultrici vitiat rubigine ferrum.  
 2660 Pro lituis citharae crepitant, et Lemnia rursus,  
 2661 ridendum Superis innectunt retia Martem.  
 2662 Ipsa ego sepositis armorum, carmina, curis,  
 2663 vestra colo, et doctas inter strepo lenta Sorores."  
 2664 Dixit, et in tenuem Tritonia vanuit auram,  
 2665 Ab Jove missa Deam subito nam sustulit arcu  
 2666 Iris, et a duplici plus semita Numine fulsit,  
 2667 cum sol humentes adversa lampade nimbos,  
 2668 figeret, et paulum roraret nubilus aer.  
 2669 Ast ego non alia rerum in caligine mansi,  
 2670 Pythia quam vates, ubi corde recessit Apollo,  
 2671 non jam vox major, nec forma minacior illi,  
 2672 unus in ore color ; positus stat vitta capillis  
 2673 nec fata ante oculos ultra ; fugit omne futurum,  
 2674 rursus homo est tantum ; sic demigrante Minerva,  
 2675 infusis stupui tenebris ; cum plura vel ipsam  
 2676 ultro dicturam rerer, vel quaerere vellem.

2677 Nunc age, tu nobis saeculorum conscia Clio,  
 2678 subjice, Trojugenas inter celebrata Quirites,  
 2679 Marcella ut Venetae domus admigraverit urbi.  
 2680 Claudius armipotens triquetrae postquam arva subegit  
 2681 Sicaniae, capta tum primum Arethuside terra,  
 2682 non prius Albanum fertur duxisse triumphum,  
 2683 nec Tiberim Poenos, etiamnum adiiisse, timentem,  
 2684 sortilegos ultro quam consuluisse Palicos,  
 2685 de patriae fatiis ; qui proelia tanta maneret  
 2686 eventus, mansura patri si regna Quirino,  
 2687 Jupiter et Phrygiae sponderent pignora Vestae.  
 2688 Quae se, quae seros tandem fortuna nepotes  
 2689 exciperet ; tacita, sciturus talia, noctu,  
 2690 te, Symaethe, petit, pigri qua sulfure taetro,  
 2691 crateres fumant, ac non mergentia campos  
 2692 stagna recasuras suspendunt turgida lymphas.  
 2693 Stat sacer horror aquis, et caligantia supra  
 2694 terga, infernarum patet orbita nigra rotarum.  
 2695 A Styge principium lacubus non fabula donat,  
 2696 sed manifesta fides ; testatos nemo fefellit  
 2697 hic impune Deos ; et descendente tabella,  
 2698 non exoratas subeunt perjuriam poenas.  
 2699 Haud procul hinc templum, medio ara uberrima templo,  
 2700 surgit, et omnigenum reddit donaria frugum  
 2701 fratribus Aetnaeis, partu quos terra novello,  
 2702 invita superas Junone refudit ad auras.  
 2703 Hac tunc aede ducem Latium responsa petentem,  
 2704 pellibus et stratis infusum membra, ligavit  
 2705 sacra quies ; cum sic gemini per somnia vates,  
 2706 Trinacriae domitor, qui pilis gaesa retundens,  
 2707 tertia Romuleo suspendis opima Tonanti,  
 2708 invicti qui terga vides fugientia primus,  
 2709 ductoris Libyes ; et postmodo saepe videbis.  
 2710 Quod tibi si diras silvarum evadere detur  
 2711 insidias, Latiis tractum non alter ab oris,  
 2712 fuderit hunc pugna, nec Elissae fregerit arces.  
 2713 Multa quidem restant terris discrimina et alto,  
 2714 victa tamen vobis pendet Carthago tributum.  
 2715 Exitus hic rerum. Mox tertia deinde rebelli  
 2716 arma levans fastu, planis aequabitur arvis.  
 2717 Fusca tuae tantum nec serviet Africa Romae,  
 2718 huic famulaturus late promittitur orbis,  
 2719 aequore qua prodit, qua conditur aequore Titan,  
 2720 Arctos aeterna premit qua bruma Triones,  
 2721 aestiferae contra vel qua perit umbra Syenes.  
 2722 Hic tua progenies numquam non celsa tenebit  
 2723 culmina, dum summas mundi contingat habenas.  
 2724 Sed quoniam humani quicquid struxere labores,  
 2725 subjacet excidio ; Martis licet urbe, futurum  
 2726 sit nihil astriferi majus sub tegmine caeli,  
 2727 saecula succedent, quibus illi armata potestas  
 2728 concidat, ac solum tituli jam servet honorem,  
 2729 religione tamen princeps sine fine manebit,  
 2730 nec mortale genus, dum sidera proferet aether,  
 2731 umquam septenas venerari desinet arces,  
 2732 quamvis Barbarico calcandas saepe tumultu.  
 2733 Imperio ast aliam nebit Clotho aspera sedem ;  
 2734 nec secus ex Italis consurget Roma ruinis

2735 altera, deletae quam vestra e funere Trojae.  
 2736 Altera Dardaniis sed et haec habitanda colonis.  
 2737 Est locus in Venetis, Altini litora contra,  
 2738 aequoribus, rivum rudis accola nominat altum ;  
 2739 Quis credat ? Fati sortem locus ille secundi  
 2740 Tarpeium post culmen habet. Ne temne quod illic  
 2741 apricos hodie cernas considerare mergos,  
 2742 ludere vel fulicas, vel lina madentia pandi.  
 2743 Nunc ubi rara teges male sarta palustribus ulvis,  
 2744 flante labat zephyro, venturi mensibus aevi,  
 2745 aurea marmoreis fulgebunt templa columnis.  
 2746 Quippe aderit centena iterum trieteride ducta,  
 2747 bis denis super haec triplicatis messibus, aetas ;  
 2748 cum trux Sarmatico decurrens Chunus ab Histro,  
 2749 Hadriaci cunctas vastabit litoris urbes.  
 2750 Tunc Aquileia cadet, nec non Altina jacebunt  
 2751 tecta, et cognatae vobis Antenor's arces.  
 2752 Ast eversa fuga linquentes oppida cives,  
 2753 non longinqua petent, sed primo in margine ponti,  
 2754 haud procul a terra communi in sede coibunt.  
 2755 Convena ceu vestrum repleerat coetus asyllum,  
 2756 haec nisi quod nullos admittent saepta nocentes.  
 2757 Exin paulatim numero crescente colentum  
 2758 tectorum accrescet numerus ; civilia donec  
 2759 jura sibi statuunt, ac vera sit urbis imago.  
 2760 Huc tandem ex omni tellure immensa volabunt  
 2761 agmina, tranquilli quaerentum tuta recessus.  
 2762 Huc et vestra domus, Parcarum stamine, sese  
 2763 transferet, ac patriae fugiens adversa prioris,  
 2764 quattuor implebit pretioso pondere naves,  
 2765 quis delata freto, duos appellet ad Histros,  
 2766 inde accita novae socium moderamen ad urbis,  
 2767 inter Patricios scribetur prima regentes.  
 2768 Nec jam accedentem capiet brevis insula turbam ;  
 2769 augebant miram, sola sed nativa, per artem  
 2770 lignea dum pelago, moles fundata, sub imo,  
 2771 sternitur, et dorso lapidum sustentat acervos.  
 2772 Neve operum fabricas tumido mare proluat aestu,  
 2773 praetenta excludent venientes brachia fluctus,  
 2774 aggeribus longis, quibus impingente procella,  
 2775 Nereus innocuas retro dabit irritus undas.  
 2776 Nil ibi nascetur, nisi si quid procreat humor,  
 2777 sed tamen uberius, quam quis nascuntur in arvis  
 2778 omnia abundabunt. Sic illuc cuncta ferentur  
 2779 partibus a cunctis, patulo subvecta profundo.  
 2780 Scilicet immensi postquam ad commercia mundi,  
 2781 immisit mediis late sua caerulea terris,  
 2782 hoc pariter jam nunc Neptunus providet, ut sint  
 2783 qui maris imperium stabili ditione gubernent,  
 2784 quo natura parens, velut in communia mittat  
 2785 horrea, diversis quicquid producit in oris ;  
 2786 unde petant omnes, vitae quod postulat usus.  
 2787 Nulla locum cingent, rigidae Lacedaemonos instar,  
 2788 moenia ; murus erunt numquam penetrabilis, illi,  
 2789 stagna per obliquos varie intersecta canales,  
 2790 quae nec Titanes valeant transcendere, nedum  
 2791 Porsena, vel Brennus, Tyrio vel Hamilcare natus.  
 2792 Ausi olim propius, Genua pugnace creati,

2793 ostentare rates ; omni cum classe peribunt,  
2794 ostia qua crassis stagnant Athesina lacunis.  
2795 Quid nunc jura tibi memorem, quid facta virorum ?  
2796 Quid spatium regni ? Totum non ulla per orbem  
2797 publica res tantum forma durabit in una.  
2798 Nec modo rex illam, modo consul, et inde tribunus,  
2799 dictatorve reget ; primo quae coeperit ortu,  
2800 stabit in aeternum series ; Discordia demens  
2801 dividuam nullis scindet secessibus urbem,  
2802 ut vel Aventinum, vel sacri culmina montis  
2803 occupet a domino plebes avulsa senatu.  
2804 Corporis unanimi, ceu mundi lege meantis,  
2805 unus erit praeses ; verum non una potestas.  
2806 Aequa sorte sibi pariter dum consulit omnis  
2807 nobilitas ; at non imi faex sordida vulgi  
2808 polluet excelsas humili sessore curules.  
2809 Proelia multa gerent, justis tamen omnia causis.  
2810 Illorum vires Syrio de litore pulsus,  
2811 formidabit Arabs. Illis servantibus, omnis  
2812 Graecia Barbaricae subducet colla catenae.  
2813 Illi Dalmaticis spoliabunt urbibus acres  
2814 Pannonios ; Cretam frangent ter Marte rebellem.  
2815 Sed majore nihil, per gentes laude canetur,  
2816 quam pia pro vestro quod bella Antistite sument,  
2817 quem Vaticanæ profugum de sede cathedrae,  
2818 nec tutas usquam latebras reperire valentem,  
2819 hospitio excipient, ac terrae Principe victo,  
2820 clavibus aetheriis rerum moderamina reddent.  
2821 Sola diu contra Genuae trucis aspera pubes,  
2822 de pelagi regno certabit viribus aequis ;  
2823 in proprio donec portu superata quiescet.  
2824 Tum demum Venetos metuet Tartessia quicquid  
2825 ora vomunt ; euro quicquid perflat et austro,  
2826 quicquid Bosphoricae fundunt a vertice fauces.  
2827 Grandis et in solida manet hos tellure potestas,  
2828 nec populo cuiquam tantum crevisse tot annis,  
2829 contigerit. Prope sex bellastis saecula Quirites,  
2830 necdum tota subest Latiis Oenotria pilis ;  
2831 vestrorum virtus proavos transgressa nepotum,  
2832 intra dena sibi subiget quinquennia magnam  
2833 Italiae partem ; quantum Phaethontius amnis  
2834 claudit, et extremos juga despectantia Carnos.  
2835 Tanta urbi invictae claris de stirpibus orti,  
2836 incrementa dabunt, Romano a sanguine cives.  
2837 Quos tua posteritas, meritis ingentibus omnes  
2838 anteibat longe, titulis laetare tuorum.  
2839 Surget ibi, dux summe, tuis ex ossibus, alter  
2840 Marcellus ; qui facta suis tua transeat actis.  
2841 Quinos tu consul, geminos pro consule fasces  
2842 accipies ; illum totidem vix tempora cernent  
2843 privatum, quoties repetent tua nomina fasti.  
2844 Nola tibi servata fuit ; servabitur illi  
2845 Brixia ; quot te annis lassarunt orta Corinthe  
2846 moenia ; Veronam tot lucibus ille resumet.  
2847 Qualem tu Hannibalem docuisti cedere primus,  
2848 talem ille ante omnes Picininum cedere coget.  
2849 Viridumari torquem tu victor et arma tulisti,  
2850 obsessum in patria leto dabit ille Philippum.

2851 Ars senis unius pelago tua vela removit,  
 2852 illius ingenium siccas vehet ardua classes  
 2853 per juga. Tu superas homines, hominumve labores,  
 2854 naturae indomitum permolliet ille rigorem.  
 2855 Te duce Poenus atrox en vestra palatia terret,  
 2856 ille sua hostiles pulsabit cuspide muros.  
 2857 Cum tot collegis tu vix et parta tueris,  
 2858 omnia quae veterum fuerint quaesita triumphis,  
 2859 unicus ille suis, aut jam deperdita rursus  
 2860 asseret, aut medio praestabit tuta periclo.  
 2861 Insuper antiquis tantumdem finibus addet.  
 2862 Ergo fatalis numeri compage soluta,  
 2863 mortalis vitae fragilem cum liquerit umbram,  
 2864 non poenale chaos, tenebris nec densa subibit  
 2865 Tartara ; caelestem scandet novus indiges aulam ;  
 2866 inter et astrorum coetus conviva recumbet,  
 2867 perpetui senium pulsurus nectaris haustu,  
 2868 qua pater Alcides uxoria pocula siccant ;  
 2869 qua Perseus et Liber, et inclyta germina Ledae,  
 2870 qua residet vester, Veneris cum prole, Quirinus.

CARMEN PRO PACANDA ITALIA, AD IMP. CAES. FRIDERICAM III.

(CARMEN HOC SCRIPSIT AUCTOR PAENE PUER, UTPOTE NATUS ANNOS NON MAGIS DECEM ET SEX.)

H\_3 v.1 Induperatorum decus, et sublime ruentis  
 2 Ausoniae, salve, columen ! Salve inclyte Caesar !  
 3 Salve cura Deum ! Salve caput Urbis et orbis !  
 4 Quem nondum nostri curam dimittere mundi,  
 5 sidera nostra dolent, et lividus ingemit aether.  
 6 Oenotrias, Friderice, venis optatus ad urbes.  
 7 Te, per gramineos saltus, et vallibus imis  
 8 leniter exiguo serpentes murmure rivi,  
 9 et liquidi fontes et flumina glauca vocabant.  
 10 Te, cum frondiferis montana cacumina silvis,  
 11 et freta, quae Hesperias claudunt circumflua gentes,  
 12 te, cum supplicibus clamabant oppida muris.  
 13 Credo equidem, te sancta Deum, mortalibus aegris,  
 14 numina, terrenos tandem miserata labores,  
 15 demisisse polo, frustra retinentibus astris.  
 16 In quo per numeros virtus se effunderet omnes,  
 17 per quem pax totum floreret laeta per orbem ;  
 18 et violenta suos sedarent bella tumultus.  
 19 Per quem Caesareum transcenderet aethera nomen,  
 20 et recidiva novos spectaret Roma triumphos.  
 21 Cujus et auxilio sanctae veneranda potestas,  
 22 cresceret Ecclesiae ; quem mox reparanda maneret,  
 23 quae quondam maduit divino sanguine tellus.  
 24 Per quem Barbaries sacris operata profanis,  
 25 inciperet verum templis adscribere Numen.  
 26 Nec secus eveniet : dudum te caelifer Atlas,  
 27 te dudum trepidis submissus collibus horret  
 28 Caucasus, et prona declinat rupe cacumen.  
 29 Te Tanais gemini dirimens confinia mundi,  
 30 te tremit amissum deplorans Nilus Osirin.

31 Nec proferre solo pavidum caput anxius audet  
32 Tigris, et Aonios reminiscitur India thyrsos.  
33 Quare age Romanae sub pristina vincla catenae,  
34 Barbara colla reduc ; indicere bella profanis  
35 incipias populis, et totis viribus almam  
36 propagare fidem. Praesens Fortuna favebit,  
37 et pater omnipotens ingentibus annuet orsis.  
38 Parce tuam mentem privatis angere curis,  
39 parce, et sublimes animos super aethera tolle.  
40 Romulidas veteres imitare potentibus armis.  
41 Omnes qui priscis Romam tenuere sub annis,  
42 curavere aliquos Romano adjungere semper  
43 imperio populos. Hic oppida Graia subegit ;  
44 huic dedit insignem pubes Germana triumphum,  
45 Aegyptusque nocens, divesque Britannia lucis.  
46 Est qui bellaces, juga ferre coegit Hiberos.  
47 Est qui foedifragos, Gallis cum fortibus, Afros  
48 perdomuit ; Parthos alius compescuit arcus,  
49 alter Hyperboreo Dacos submovit ab Histro.  
50 Hos oculis propone tuis, hos lumine mentis  
51 contemplare duces ; vel te fera bella vocabunt,  
52 vel secura quies tranquilla pace fovebit,  
53 hos praeceptores regali delige vitae.  
54 Hos imitans claris studeas praecellere factis.  
55 Quid pateris gentes, falsae quas impius error  
56 religionis habet, nostrum crudelibus armis  
57 impugnare Deum ? Pudeat te, maxime Caesar,  
58 claudier angusto Romanos limite fines,  
59 hos, quibus occasus prius haud suffecit et ortus,  
60 et gens quam calido torquet plaga subdita Cancro,  
61 quam glaciale premit sidus Stympthalidos ursae.  
62 Quid pateris dominae quondam, tecta aurea, Romae  
63 nunc fractae, veteres tantum ostentare ruinas,  
64 et resupinatis, proavita cadavera, bustis,  
65 qualis erat Trojae facies Priameidos olim ?  
66 Nam simul Argivis fumarunt eruta flammis  
67 Pergama, et innumeros jacuere eversa per annos,  
68 tum situs incepit pronis increscere muris,  
69 et desolatas implerunt gramina fossas.  
70 Magnorum heroum ruptis disjecta sepulcris  
71 ossa per incultos albebant squalida campos.  
72 Jam rimosa cavas prodebant saxa latebras.  
73 Laomedonteum laxa compage cadaver,  
74 vix tumulus cohibebat hians. Hic Cynthus, hic Tros,  
75 hic flebat nudus marcentem Dardanus urnam.  
76 Jam Paridis monumenta solo convulsa jacebant,  
77 jam levis Hectoreum cinerem disperserat auster.  
78 Talem nunc stratis Romanam moenibus urbem  
79 aspiciamus, sola molem testante ruina.  
80 Huic strue sublimes peregrino marmore muros,  
81 et cum Roma tuis opibus renovata resurget,  
82 arma para populos expugnatura rebelles.  
83 Sed prius Italicis optatam redde quietem  
84 urbibus ante omnes, unum hoc curare paratus  
85 esto memor. Pacem colles et robora clamant,  
86 pacem stagna, lacus, pacem fera saxa loquuntur.  
87 Ne te crede meis aures adhibere querelis,  
88 nec nostras audire preces ; has pectore maesto,

89 ipsius Italiae voces manare putato.  
 90 Conspicuum augusta regalis imagine formae  
 91 matronam, pullo corpus velamine tectam  
 92 finge videre oculis ; passo quae inculta capillo,  
 93 et stantes laniata sinus, contusa lacertos,  
 94 nec non turrigera frontem praecincta corona,  
 95 sed male semirutas sustentans vertice turres,  
 96 ante tuos recubare pedes videatur, et aegro  
 97 fulta caput cubito, terra vix colla levare,  
 98 et gaudere, suas primum quod adiveris oras ;  
 99 mox singultatas eructans pectore voces,  
 100 ingentem gravibus gemitum miscere querelis.  
 101 Ergo his incipiens sermonibus ora resolvet ;  
 102 cum niger ante meos numeraret calculus annos,  
 103 tandem se nobis niveo signanda lapillo,  
 104 obtulit una dies, qua te, clarissime Caesar,  
 105 conspicio demum nostras invisere terras.  
 106 Hoc erat, hoc votis tempus quod mille petebam.  
 107 Saepe sacrata Deum lacrimis adpersimus ora,  
 108 duximus auratos saepe ad delubra juvencos,  
 109 adventus orando tuos ; et supplice flamma,  
 110 tura super tepidis Eoa cremavimus aris.  
 111 In te nostra salus, in te spes unica pacis  
 112 pendet, et est toto terrarum nullus in orbe,  
 113 qui plagis medicare meis, qui damna levare,  
 114 te queat excepto. Nos perdere solus, et idem  
 115 conservare potes ; nostrae, Fortuna, salutis,  
 116 te nostrae facit esse necis, Fortuna, potentem.  
 117 Perdere posse sat est, potius servare labores.  
 118 Quo magis in celsa te Numina sede locarunt,  
 119 hoc te plus mitem miseris praestare memento.  
 120 Hanc Deus ob causam reges statuisse superbos  
 121 traditur, et terris superimposuisse regendis ;  
 122 in primis caveant, ne cedat viribus aequum,  
 123 ne quis ob invidiam manibus violetur iniquis,  
 124 imbellem vexare potens, opulentus egenum,  
 125 occultis lactare dolis et fraudibus ausit.  
 126 Ut bene cuncta suo tueantur subdita regno,  
 127 bella procul pellant, populos in pace gubernent,  
 128 civibus aequa suis sapienter jura ministrent.  
 129 Ergo age, quandoquidem tantum potes, optime regum,  
 130 omnis ut infelix te patrem mundus adoret,  
 131 da requiem miserae ; Martem compesce cruentum ;  
 132 eripe quod superest, letalibus eripe bellis.  
 133 Haec et erunt terris, et erunt gratissima caelo.  
 134 His poteris magnum tibi conciliare Tonantem.  
 135 His poteris faciles meritis tibi jungere Divos.  
 136 Quos nullum justas adeo compellit in iras  
 137 crimen, ut humanae cursum praecidere vitae.  
 138 Quos non ulla solent adeo benefacta secundos  
 139 reddere, ut instantis nigrum producere Parcae  
 140 stamen, et immerito subiturum funere manes  
 141 conservare hominem ; cum sit pretiosius unum  
 142 hoc cunctis animal, cum sit Caelestibus ipsis  
 143 carius, et sacram deducat ab aethere mentem.  
 144 Quin etiam veterum perhibent monumenta virorum,  
 145 hunc apud antiquos morem viguisse Quirites,  
 146 cujus Romanum servasset dextera civem,

147 tempora vitali gereret circumdata quercu ;  
 148 at per quem fusi cecidissent fortiter hostes,  
 149 millia qui Stygias misisset quina sub umbras,  
 150 alta triumphali peteret Capitolia pompa.  
 151 Quodsi tunc tantus civem servantibus unum,  
 152 praestabatur honos, multosve necantibus hostes ;  
 153 quae tibi laus poterit, quae gratia digna rependi,  
 154 qui tot supremam solus promoveris horam  
 155 gentibus ? E medio qui tot revocaveris Orco,  
 156 ereptos fatis homines ? Tu mille triumphos,  
 157 tu totidem laurus, tu mille merebere quercus.  
 158 Cum venias nostras felix ac laetus ad urbes,  
 159 et veneranda sacras initurus foedera taedas,  
 160 fac ne maesta tuis occurrere cogar ocellis ;  
 161 sic avibus celebres jus connubiale secundis,  
 162 semper amica tuis faveant sic Numina votis,  
 163 et te prole beent, totum quae subjuget orbem,  
 164 accumulique tuos gestis majoribus actus.  
 165 Sic felix regnes, sic te per secula reddant,  
 166 prudentem Phoebus, facundum Pliade natus,  
 167 consilio Pallas, Mars fortibus adjuvet armis,  
 168 sceptriger aeternum Saturnius omine fausto  
 169 augeat imperium ; quod terminet auster et horrens  
 170 cum zephyro boreas, quod lutea finiat Eos.  
 171 Tempora dum numero, dum res ab origine prima,  
 172 saepe meas repeto ; bis dena revolvitur aetas,  
 173 et bis millenos exegit Cynthius orbis,  
 174 ex quo vix ullam potui sentire quietem,  
 175 assidui saevo Martis lacerata furore.  
 176 Me miseram quanta trepidat formidine pectus,  
 177 dum veteres casus, dum funera prisca recordor !  
 178 Ut cum Romuleam radicitus excidit urbem,  
 179 cruda manus Senonum, cum belliger horrida Pyrrhus,  
 180 pro Lacedaemonio Romanis arma Tarento  
 181 intulit ; Hispanis olim cum caedibus ardens  
 182 Hannibal oppositas perrupit turbidus Alpes,  
 183 Hannibal exitium populis fatale Latinis,  
 184 Hannibal Hesperium miles juratus in hostem.  
 185 Quid memorem strages, quas Cimbricus edidit ensis ?  
 186 Quae mala pertulerim, quos sim perpessa labores,  
 187 Gotthica cum victam vastarunt agmina Romam ?  
 188 Sed quid ego priscis lacrimas impendo ruinis ?  
 189 Vix nova flere vacat ; nobis hoc durius aevum  
 190 exstitit, et nullos tulimus graviora per annos.  
 191 Nec tamen (ut pudeat mea me deplangere damna)  
 192 vulneribus nostris peregrinum ascribimus hostem.  
 193 Plus me barbaricis laesere domestica damnis.  
 194 Vulneris auctor ego ; proprio male sana quid ultra  
 195 confodior gladio ? Memet mea dextra (nefandum ! )  
 196 Dilaniat, noto rimantum viscera ferro.  
 197 En aliud civile nefas surrexit, et ecce !  
 198 In miseram rursus jurarunt pignora matrem.  
 199 Ac velut iratis in eodem corpore membris,  
 200 et pedibus clunes, et dextrae laeva repugnet,  
 201 dissideant nares oculis, et naribus aures,  
 202 decertet cum ventre caput, cum pectore tergum ;  
 203 aspice quos Athesis, quos perfluit Addua campos,  
 204 aspice cum Tuscis Picenas gentibus urbes,

205 et quas possedit Calydonius advena terras,  
 206 cuncta simul Mavorte fero quassata videbis.  
 207 Arsit humus bellis, bellis flagravit et aequor.  
 208 Adria navifrago metuendus gurgite, nuper  
 209 vidit Aragonaeas Venetis certare carinas,  
 210 et facere infestum remis mare. Vidit easdem  
 211 urbs Alpheia suos propter discurrere portus,  
 212 et quam Tyrrhenus lambit, Populonia, gurges.  
 213 Damna Placentinae querar immanissima praedae ?  
 214 Insubrisne prius miserer jejunia terrae ?  
 215 Parthenope exactum deplangit prodita regem,  
 216 ingemit anguigeris bis circumsessata catervis  
 217 Brixia ; deplorat populosos Bergomon agros.  
 218 Urbs Venetum saevo deletas igne triremes  
 219 luget, et assiduis exhausta aeraria bellis.  
 220 Singula quid refero ? Millena volumina nostros  
 221 vix capient casus ; nec sat foret integer annus  
 222 dicere, qui nostris rubuere cruoribus amnes.  
 223 Ipse potes praesens mea detrimenta videre,  
 224 ipse potes cumulo deprendere cuncta sub uno.  
 225 Nam bellis diversa trahor, velut alnus in undis,  
 226 quam fera tempestas, quam grandine turbidus atra  
 227 Jupiter, et nimbis et fulmine vexat hiulco,  
 228 quam ventosa premunt et toto flamina caelo ;  
 229 temonem zephyrus, remos niger abstrahit eurus ;  
 230 antennas et vela simul rapit humidus auster,  
 231 subvertit malum boreas, et texta relaxat  
 232 pinea, donec inops et ademptis debilis armis,  
 233 fluctuet, et medium natet errabunda per aequor.  
 234 Ingenuae in parvis quod habentur honoribus artes,  
 235 quod cessat Phoebea chelys, quod carmine rupto,  
 236 Aoniae siluere deae ; Mars impius egit.  
 237 Quae tamen ad nostros ut te contendere gressum  
 238 accepere Lares, mentis formidine paulum  
 239 seposita, citharis respiravere resumptis.  
 240 Quod spretis audax Musis petit arma juvenus,  
 241 et volucres premere audet equos ; Mars impius egit.  
 242 Quod mea tam crebris albescunt ossibus arva,  
 243 et raris sunt culta casis ; Mars impius egit.  
 244 Quod cernis nullum deserta per oppida civem,  
 245 nec campis errare greges ; Mars impius egit.  
 246 Conspicis impulsas cassis quod turribus arces,  
 247 et vacuas nutare domos ; Mars impius egit.  
 248 Quod ligo, quod vomer, quod sarcula, rastra, bidentes,  
 249 in gladios abiire truces ; Mars impius egit.  
 250 Et quae me gravius fortuna gemiscere cogit,  
 251 non alienigenas pascit mea gaza latrones,  
 252 sed latus in nostrum saevit vernaculus hostis.  
 253 Quin velut una parum miseram discrimina laedant,  
 254 et quibus afficiar desint incommoda, pestem  
 255 omnipotens genitor nostras commotus in urbes  
 256 misit ob infandas caedes, et bella cruenta.  
 257 Desunt ligna rogis, tumulis humus, ignibus aer,  
 258 letum omnes commune rapit, nec plebe senatum,  
 259 nec sera ruga viridem secernit ephebum.  
 260 Hoc deerat ; simul ille aegram timor additus angit,  
 261 cum me finitimis oppressam viderit armis,  
 262 et tot corrupto perpessam funera caelo,

263 Barbara turba meos tentet ne invadere fines.  
 264 Nescio quae ambiguae dudum mala murmura famae  
 265 aucupor, ingentes jam pridem sentio motus.  
 266 O potius Jovis igne cremer, vel in aequora mergar !  
 267 Ne natis sim praeda meis, ne ut vipera foeto  
 268 ventre tumens peream, ne me meus enecet ensis.  
 269 Quandoquidem Superis placuit me perdere iniquis,  
 270 malo peregrino confossa occumbere ferro.  
 271 In me vulnificas audax Hispania fundas,  
 272 in me nigra fugax reflectat spicula Parthus,  
 273 me petat infestis fatalis Gallia gaesis,  
 274 me, me falce Getes sternat Mavortius ; in me  
 275 dirigat Eoas Macetum gens dura sarissas,  
 276 me Numidae celeres, me Thrax, me concolor Indo  
 277 invadat laurus ; in me sera Graecia vertat  
 278 mille rates, in me decies centena virorum  
 279 millia Persis agat ; quicquid complectitur Hister,  
 280 et Nilus, quicquid populorum maximus orbis  
 281 continet, in nostrum veniat caput ; una tot armis  
 282 obruar, exsaturem crudeles sanguine Divos,  
 283 et tegar aeterno non subrectura sepulcro.  
 284 Esse reor satius quamvis incurrere sortem,  
 285 dum ne gentilis fodiat mea guttura mucro.  
 286 Sed minimum mea vota valent ; jam nota parantur  
 287 tela meo jugulo ; videne ut conjurat in arma  
 288 omne genus ? Videne ut saevum mare, terra minatur ?  
 289 Infelixque suos nutrix formidat alumnos ?  
 290 Hinc Genuense solum popularibus aestuat armis,  
 291 seditiosa suos pavet inde Bononia cives.  
 292 Hinc Florentinas muris instare phalanges  
 293 Sena tremit, Venetos hinc terret Sforcius heros.  
 294 Excidium populis crudele minatur Etruscis  
 295 pugnaces in castra movens Alfonsus Hiberos.  
 296 Undique, ut Herculeae cervix rediviva colubrae,  
 297 undique per gentes discordia pullulat amens.  
 298 Undique bella sonant, fremit horridus undique Mavors,  
 299 et clipeo fulgens, et cassidis igne coruscus.  
 300 Hinc Pavor et Terror conspersos sanguine currus,  
 301 et volucres moderatur equos. Comitantur euntem  
 302 insidiae, ac praeceps cum caedibus Impetus atris,  
 303 et caecus Furor, et Rabies germana Furoris.  
 304 Bellona armatas vocat ad certamina turmas,  
 305 sanguineaque tuba resonat lacrimabile signum.  
 306 Post hanc paciferae sumpto gestamine olivae,  
 307 Pallas saxificos in pectore concutit angues.  
 308 Tisiphone immitis Lethaeum egressa barathrum,  
 309 effera crinales ad sibila concitat hydros,  
 310 et rotat accensam media inter millia taxum,  
 311 assidueque novas clades, casusque recentes  
 312 nuntiat, et crebros iterat vaga Fama timores.  
 313 Quem precer ? Aut quid agam ? Quonam mea lumina vertam ?  
 314 Quos prius appellem ? Quos sperem ostendere rebus  
 315 auxilium miseranda meis ? Quae Numina clamem ?  
 316 Te, quem sidereo non Fors demisit Olympo,  
 317 sed bonus in nostras jussit descendere terras  
 318 Jupiter ; his oro miseram defende periclis,  
 319 hos animo depelle metus, ac pace sequestra,  
 320 comprime ferales, princeps Auguste, tumultus,

321 comprime, et admota sana mea vulnera dextra.  
 322 Fac, ne civilis Genuam dissensio turbet,  
 323 expulsas revocet pacata Bononia partes,  
 324 Appulus Etrusco, Veneto jungatur amicus  
 325 Insuber, et longos olim mansura per annos,  
 326 foedera percussae confirmet sanguine porcae.  
 327 Et quos innumerae locupletavere rapinae,  
 328 vis quibus et ferrum quaesitos crimine census  
 329 auxit, et in praedam miseri domus acta propinqui,  
 330 ad possessores referant ablata vetustos.  
 331 Quin aliquis cultas spoliare insignibus aras  
 332 suetus, et auratas Superis abradere vestes,  
 333 Numina mactatis, ploret violata juvencis.  
 334 Et quae sacrilego manus abstulit improba furto,  
 335 restituat. Sed ab his exemptus legibus esto,  
 336 si quis letiferum Marti subduxerit ensem.  
 337 Abjecta lentus requiescat cuspide miles,  
 338 et faber agrestem vertat thoracas in usum,  
 339 in falcem redeat cassis cristata recurvam,  
 340 rustica de longo fiat mucrone securis.  
 341 Et reclusa serent Janum delubra biformem.  
 342 Sic ego quae insano pereundi ardore tenebar,  
 343 et per barbaricos optabam incendier ignes,  
 344 sanior in rectum redigam mea vota tenorem,  
 345 nec desiderium tam crudae mortis habebō,  
 346 sic et ab externis manibus tutissima vivam.  
 347 Tum pater omnipotens nostro mala nubila caelo  
 348 pellet, et Oenotrias spectabit mitior oras,  
 349 cum positos enses et conciliata videbit  
 350 oppida, sic florens, sic fortunata videbor,  
 351 sic felix, sic dives ero, sic cuncta resurgent,  
 352 quae ferus armisona prostravit grandine Mavors.  
 353 Sic tandem incipient antiqua emergere jura,  
 354 sic tandem incipient sanctae resipiscere leges,  
 355 quae primum lituos, quae classica rauca tremebant.  
 356 Tunc intermissis, cultus revocabitur, agris,  
 357 tunc rumpent sacrae, diuturna silentia, Musae,  
 358 et cantando tuos Helicon sudabit honores.  
 359 Non ego, quod quondam saeculo meliore tenebam,  
 360 totius imperium terrae peto ; dum modo pacem  
 361 des miserae, qualem sub rege quieta Sabino  
 362 Roma, vel Augusto vidit sub Caesare mundus.  
 363 Regna haud parva dabis. Laus te ventura movere  
 364 debet, et aeternae pretium indelebile famae.  
 365 Quippe per extremas, late celebrabere, pacis  
 366 largitor, gentes, et fulvi conditor aevi,  
 367 et per cuncta tuum florebit saecula nomen,  
 368 dum volucres aer, dum pascet sidera caelum,  
 369 gramine dum tellus, dum piscibus affluet aequor,  
 370 dum pater Oceanus refugo circumfluet orbem  
 371 gurgite ; fraterno dum splendida sumet ab astro  
 372 lumina, cornigerae sidus reparabile lunae.  
 373 Nunc igitur longis finem impositura querelis,  
 374 me genibus commendo tuis, ad cuncta paratam  
 375 jussa ; vel Aetnaeos jubeas intrare caminos,  
 376 accipe, et in cunctos comitem me assume paratus,  
 377 accipe devotam sincero corde ministram.

DIOMEDIS ET GLAUCI CONGRESSUS. LOCUS EX HOM. ILIAD. Z. A V. 119 SQQ.  
LATINO CARMINE REDDITUS.

H\_4 v.1 Glaucus at Hippolochus satus, et Tydeus heros,  
2 in medium coiere, manum conferre parati.  
3 Ac jam collato propius se Marte petebant,  
4 cum prior ingenti Diomedes voce profatur :  
5 quisnam tu quaeso mortali e stirpe virorum ?  
6 Nam qui conspicuo numquam in certamine nobis  
7 antehac visus eras, animis nunc grandibus omnes  
8 transisti, nostris ausus subsistere telis,  
9 occurrunt Genio quibus infelice creati.  
10 Quodsi quis Divum summo descendis Olympo,  
11 non ego caelicolis optem contendere pugna.  
12 Nam nec magnanimi proles violenta Dryantis,  
13 evaluit superesse diu, dum Numina contra  
14 bella gerit ; madidi nutrices ille Lyaei,  
15 egit praecipiti juga per Nysseia cursu.  
16 Illae in humum thyrsos passim fudere virentes,  
17 verbera sanguinei fugiunt dum saeva Lycurgi.  
18 Ipse etiam in fluctus salit conterritus Euan.  
19 Quem Thetis humenti gremio miserata recepit,  
20 quippe Deum, turbante viro, metus acer habebat.  
21 inde dolor, facilem ducentia Numina vitam  
22 asperat, et visum misero Saturnius aufert,  
23 nec longo infensus Divis post tempore vixit.  
24 Haud igitur cupiam cuiquam certare Deorum.  
25 Sin hominum ex numero es, terrae qui munera carpunt,  
26 accede, ut Leti quamprimum limina tangas.  
27 Tum contra Hippolochi sic excipit incluta proles ;  
28 quid genus exquiris, sate sanguine Tydeos alti ?  
29 Quale genus foliis, tale et mortalibus aegris.  
30 Nam folia haec rapiens sternit notus ; illa comantes  
31 producunt silvae, frondosi tempore veris.  
32 Haud aliter soboles, viget haec nunc illa virorum.  
33 Quod si tantus amor stirpem tibi noscere nostram,  
34 (quam tamen innumerae gentes novere per orbem)  
35 urbs est Argolicas Ephyre inter condita fauces ;  
36 (LACUNE)  
37 Sisyphus Aeolides, quo Glaucus patre creatur,  
38 at Glauci magnus de semine Bellerophontes  
39 nascitur, huic laetos Superi virtutis honores  
40 afflarant ; sed Proetus ei mala mente movebat ;  
41 donec longe opibus pollentior ejicit Argis,  
42 ipsius quos tum sceptris subjecerat altus  
43 Jupiter ; at duri conjux Antia tyranni,  
44 ardebat dulci juvenem cognoscere furto,  
45 sed procul illecebras turpes mens casta refugit.  
46 Illa haec ad regem fatur mendacia Proetum :  
47 "Ipse cadas ; Glaucos genitum vel, Proete, necato  
48 invitam qui me stupro violare paravit."  
49 His rex auditis tacitas exarsit in iras,  
50 sed juvenem veritus manifesto perdere leto,  
51 ad Lycias mittit scriptis cum tristibus oras,  
52 impia signatis perarans arcana tabellis.  
53 Callidus has socero periturum ostendere mandat.

54 Ille Deum ductu Lyciam meliore petivit,  
 55 quam tandem et Xanthi postquam pervenit ad undas ;  
 56 exhibet huic magnos Lyciae regnator honores,  
 57 ter trinis totidem mactans armenta diebus ;  
 58 ut decima effulsit digitis rubicantibus Eos,  
 59 tunc edi mandata rogat, tum cernere poscit  
 60 si qua sibi a genero portetur epistola Proeto.  
 61 Ergo notas postquam generi percepit iniquas,  
 62 indomitam primum jubet expugnare Chimaeram.  
 63 Bellua non hominum, sed erat genus illa Deorum,  
 64 ante leo, capra in medio, pone horridus anguis,  
 65 turbida flagrantis spirans incendia flammae ;  
 66 sed tamen hanc stravit Divum portenta secutus.  
 67 Congreditur Solymis illustribus inde, nec umquam  
 68 acrius hoc sese certamen inisse ferebat.  
 69 Tertio Amazonias fundit discrimine turmas ;  
 70 huic reduci alterius fraudis tentamina textit.  
 71 Quippe legens Lyciae fortissima corpora pubis,  
 72 collocat insidias ; quos omnes perculit heros  
 73 Glauciades, patriae nec quemquam ad tecta remisit.  
 74 Ut tandem agnovit divina e stirpe creatum,  
 75 detinuit secum, natae connubia pactus,  
 76 cum qua dimidium regni partitur honorem ;  
 77 dant simul et Lyciae gentes, quem percolat agrum,  
 78 arboribus longe laetum et felicibus arvis,  
 79 illa parit magno tria pignora Bellerophonti ;  
 80 Isandrum, simul Hippolochum, sed tertia proles  
 81 Laodamia fuit ; summo quae juncta Tonanti,  
 82 belligerum sacro fudit Sarpedona partu.  
 83 At postquam huic etiam succensuit ira Deorum,  
 84 arva pererrabat comitatus Aleia nullo,  
 85 ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.  
 86 Isandrum ast illi miserando funere natum,  
 87 trux perimit Mavors, Solymis dum proelia miscet.  
 88 Hanc irata suis figit Dictynna sagittis.  
 89 Hippolochi vero me dico e semine cretum.  
 90 Qui dum me patriis ad Trojam mitteret oris,  
 91 fortibus ante alios monuit clarescere factis,  
 92 nomina magnorum nec dedecorare parentum,  
 93 quos Lyciae terra ampla tulit, tulit alta Corinthus.  
 94 Tanti sublimem generis me gloria tollit !"  
 95 Talibus exsultat Tydides acer et hasta  
 96 in terram fixa, dictis ita fatur amicis :  
 97 "Dudum equidem nobis patrius cognosceris hospes,  
 98 egregium Hippolochi patrem nam maximus olim,  
 99 hospitio tenuit bis denis lucibus Oeneus ;  
 100 mutua quin etiam tribuerunt dona vicissim,  
 101 Oeneus Puniceo fulgentem murice balteum,  
 102 insignem fulvo pateram dedit ille metallo.  
 103 Hanc ego digrediens intra mea tecta reliqui,  
 104 Tydeos haud memini. Nam me, pater optime, parvum  
 105 deseris, ad Thebas periiit cum Graia juventus.  
 106 Hinc ego sum mediis hospes tibi fidus in Argis,  
 107 tu contra in Lycia, quando hanc peregrinus adibo.  
 108 Ergo etiam turba ferro abstineamus in ipsa.  
 109 Multi nam Troum, sociorum ex agmine multi,  
 110 quos mactem, tantum Deus offerat, et pede prendam.  
 111 Nec tibi quem perimas, possis modo, deficit Achivus.

112 Arma sed inter nos jam commutemus, ut omnes  
 113 hospitiiis junctos norint gaudere vetustis."  
 114 Sic fati, extemplo saliunt e curribus altis,  
 115 ac dextras tangunt, et pacis foedera firmant.  
 116 Sustulit hic mentem Glaucō Saturnia proles,  
 117 qui cum Tydide permutans arma feroci,  
 118 aerea susciperet bobus vix digna novenis,  
 119 aurea, centenos daret ipse valentia tauros.

CARMEN AD LUDOVICUM GONZAGAM, PRINCIPEM MANTUANUM.

H\_5 v.1 O Lacedaemonios, et quos Actaea creavit  
 2 quondam terra duces, o barbara nomina regum,  
 3 laudibus, et magnos titulis transgressa Quirites,  
 4 immortale decus sobolis, Ludovice, vetustae !  
 5 Quis Superum tantas nobis in carmine vires  
 6 fundet, ut ore tuas valeam percurrere laudes ?  
 7 Magna fuere quidem proavorum gesta tuorum,  
 8 inclyta quae totum decantat fama per orbem,  
 9 at proavita tuis cedunt virtutibus acta,  
 10 nec te praeclarum titulis ingentibus ornant,  
 11 Luna sed ut radios fraterno ab sidere sumit,  
 12 sic praelustre tuo capiunt de nomine nomen.  
 13 Sic Cato, sic Fabius, Pompeius, Scipio, Caesar  
 14 praeteriere suos. Nec facta domestica tantum,  
 15 sed cunctos virtute duces, quos nostra tulerunt  
 16 saecula, praecellis ; tuus inter cetera splendor  
 17 eminent, et nullum sinit elucescere nomen.  
 18 Cuncta tuis proprium perdunt collata nitorem.  
 19 Sicut ab Eois cum sol jubar exserit undis,  
 20 obscurata suam non servant sidera lucem.  
 21 Quis melior genitore tuo, quis pace vel armis  
 22 clarior effulsit ? Tamen abs te vincitur uno.  
 23 Hectore sic Priamus minor est, sic Nestore Neleus,  
 24 Oenea sic Tydeus, sic fortis Agenora Cadmus,  
 25 Amphitryona suum vincit Tirynthius heros.  
 26 Sic Ajax Telamona premit, sic laude Philippum  
 27 fertur Alexander superasse, Philippus Amyntan.  
 28 In genitore tuo vigit cultura severae  
 29 maxima justitiae ; dignas exsolvere norat  
 30 mercedes rectis, norat punire nocentes ;  
 31 te nec Aristides, nec te hac virtute Zaleucus  
 32 exsuperare queant, Graiae nec plurima gentis  
 33 nomina, quae veterum celebrant monumenta virorum.  
 34 Mirandum innotuit divinae mentis acumen  
 35 in genitore tuo ; saepe ut ventura videre  
 36 posset, et innumeris praediceret ante diebus ;  
 37 te velut Hammonem, Dodonaeasve columbas,  
 38 Delphica vel populis cantantem oracula Phoebum,  
 39 saecula nostra colunt, celebrant, venerantur, adorant.  
 40 Quis genitore tuo moderatior exstitit ? Aut quis  
 41 calliditate prior ? Quis munificentior alter ?  
 42 Edere magnificos norat pro tempore sumptus,  
 43 semper eum summam Fortuna vehebat ad arcem,  
 44 sed minus elatum semper reddebat ; amicis  
 45 officiosus erat, devictum mitis in hostem,

46 corpore formosus, maturus pectore, vita  
 47 integer, alloquio facilis, gravitate verendus,  
 48 relligione pius, constans in rebus agendis,  
 49 tardus ad offensas, veniam concedere velox.  
 50 Sed tamen his cunctis superatur laudibus abs te ;  
 51 quantum seminibus reliquis sublimior aether,  
 52 quantum Roma parens reliquas supereminet urbes,  
 53 cetera vel quantum praefulgens Lucifer astra,  
 54 Luciferum Phoebe, Phoeben splendore coruscus  
 55 Sol premit ; Oceano quantum vaga flumina cedunt.  
 56 Julius a Phrygio surgat demissus Iulo,  
 57 surgat Alexander, superas revocetur ad auras  
 58 Flavius, undecimus qui dicitur ordine Caesar ;  
 59 nec te muneribus, nec mansuetudine vincet.  
 60 Quid tua dona loquar ? Quo nunc ego carmine laudem,  
 61 transmissum nostro nuper regale Guarino,  
 62 et vere dignum Ludovico Principe munus ?  
 63 Non adeo nobis praesens adspirat Apollo,  
 64 ut tantis dignas meritis persolvere grates  
 65 evaleam. Faveant, ductor celeberrime, votis  
 66 numina cuncta tuis ; et te fera bella gerentem  
 67 adjuvet armipotens, dextra cum Pallade, Mavors !  
 68 Legimus Actaeum quondam cecinisse Platonem,  
 69 hanc fore felicem prae cunctis urbibus urbem,  
 70 principe quam docto facilis Fortuna beasset,  
 71 vel doctos adamante viros ; nunc sorte secunda,  
 72 tale Bianoream Fortunae contigit urbem  
 73 munus, ut et docto sub Principe dives ovaret,  
 74 et doctos adamante viros ; nam teque tuumque  
 75 Pierides semper delectavere parentem.  
 76 Quippe virentis adhuc primaevo in flore juventae,  
 77 diceris ad sacras mentem applicuisse Camenas ;  
 78 quae Victorini monitis imbuta magistri,  
 79 ut primum nostras studiosius hauserat artes,  
 80 edidicit Graias ; gaudere, vir inclyte, tanto  
 81 praeceptore potes ; celebrat quem fama per omnem  
 82 Ausoniam ; sed plus te Victorinus honoris  
 83 discipulo praeceptor habet ; non infima laus est,  
 84 tam celebrem docuisse virum, quo nulla tulerunt  
 85 saecula majorem, nec postera proferet aetas.  
 86 Cujus Hyperborei laudes canit accola Rheni,  
 87 quem virtute sua mediae plaga fervida zonae  
 88 novit, in Oceano positi novere Britanni ;  
 89 et matutino, quae subjacet India, Phoebo.  
 90 Ingenuas Verus vero cognomine Caesar,  
 91 traditur a priscis coluisse Aurelius artes,  
 92 ac praeceptores statuis decorasse superbis,  
 93 et placasse pios, ut Divum numina, manes.  
 94 Huic ego te merito doctrinae laudibus aequem,  
 95 denique naturam reor hoc statuisse parentem,  
 96 scilicet ut sacris aeternum dedita Musis  
 97 gens Gonzaga foret ; cum non modo mascula fundens  
 98 pectora, quae doctis juvet invigilare libellis,  
 99 Castalidum similes soleat generare puellas.  
 100 His manifesta tuae praebent exempla sorores.  
 101 Nunc ea praetereo validis quae gesseris armis,  
 102 vel quoniam nondum tantum mea carmina possunt,  
 103 vel quia longa solet nobis mora dicere, nam vix

104 sufficerent tantis centena volumina rebus.  
 105 Et tamen ut reliquis, quis pax, quis bella gerantur,  
 106 haud minus hac magnum superas virtute parentem.  
 107 Ille licet Venetas ductarit saepius alas,  
 108 et munita suis castella subegerit armis,  
 109 aeternumque decus summumque pararit honorem,  
 110 cum Veronaeo defixit signa theatro.  
 111 At te bellantem Mavortius horruit Astor ;  
 112 et tandem spoliatus equo, spoliatus et armis,  
 113 vix inhonora fuga vertit formidine terga ;  
 114 expavitque tuas studiosa Bononia vires,  
 115 cum populata suis viduares rura colonis,  
 116 et circumsessas vallares milite portas.  
 117 Te sensit Picenus ager, cum Marte secundo,  
 118 capta supinatis vastares oppida muris,  
 119 Assisio primis direpta funditus armis.  
 120 Quid nunc commemorem, quas ingeniosa per artes  
 121 bella geras ? Quo castra vafer munimine firmes ?  
 122 Quis circumventum seducas fraudibus hostem ?  
 123 Qua pugnaturas horteris voce phalanges ?  
 124 Ponendis primum loca sumis idonea castris,  
 125 ut victum tuto subvectet limite miles,  
 126 praebat ut viridis jumentis pabula tellus,  
 127 suppeditans dulces vivis cum fontibus undas.  
 128 Mox circumducto claudantur ut agmina vallo,  
 129 ut vallum lata praecingat fossa corona  
 130 efficis, et fossam praeruptus muniat agger.  
 131 Prospicis et tumulos ne callidus occupet hostis,  
 132 neve intercipiat gelidos cum frugibus amnes,  
 133 flumina neve malo temeret potanda veneno.  
 134 At cum somniferis cessit lux alma tenebris  
 135 et nox atra polum caligine texit opaca,  
 136 sensim sollicitos exploras providus hostes,  
 137 excubias vigilare jubes ; paretur, et omnes,  
 138 iudice te, gratum gaudent perferre laborem.  
 139 At cum pugna vocat, pro te vel sidera certant,  
 140 et tua descendens ad classica militat aether.  
 141 Nam concursuras acuit Bellona cohortes,  
 142 agmina Gorgoneis Pallas metuenda colubris  
 143 instruit, et fortes certo locat ordine turmas.  
 144 Congressis animos Gradivus et arma ministrat.  
 145 Haec eadem tamen ipse facis. Quis doctius alter  
 146 componat cuneos ? Calles deprendere solers,  
 147 quis magis expediat statuendis classibus ordo.  
 148 Collibus, an planis aciem descendere campis  
 149 praestet ; quo laevum firmetur milite cornu,  
 150 quae potius mediam defensent agmina partem,  
 151 quo frontem, quo terga modo, quo robore dextrum  
 152 conveniat munire latus ; quod ponere tutis,  
 153 praesidium castris, quos in statione locare.  
 154 Mox crepitante tuba, cum stridulus insonat aether,  
 155 signaque collatis concurrunt obvia signis,  
 156 terga fuga dantes revocas, pugnantibus arma  
 157 suggeris ; infelix, quem tunc tuus attigit ensis !  
 158 Non dolus aut virtus, non cum septemlice parma,  
 159 ferreus a magno defendit vulnere thorax,  
 160 non conserta virum squamis a morte tuentur  
 161 tegmina ; quin fulva procumbat stratus arena,

162 diruta tormento solet ut procumbere turris,  
163 ut convulsa cadit ventoso turbine quercus,  
164 qualiter abruptus collisis nubibus ignis,  
165 emicat in medias, super alta cacumina, terras,  
166 et sinuosa cadens per inane volumina torquet ;  
167 horror habet mortale genus, tremit arduus axis,  
168 et vix suppositus tellurem sustinet aer ;  
169 aut fulmen rapida proscindens nubila flamma  
170 discutit aut celsam Rhodopeio in vertice pinum,  
171 aut Athon Eoas compulsum ferre carinas ;  
172 Caucaseasve nives, Pangaeave culmina rumpit :  
173 talis in adversos, nec signior irruis hostes ;  
174 te, tua de caelo spectantes proelia Divi,  
175 collaudant, te tota cohors miratur et horret,  
176 sive leves rapidis praevertis cursibus Euros,  
177 sive volubilibus celerem se flectere gyris,  
178 cogis equum ; lento seu spicula dirigis arcu,  
179 pectora contorto vel transigis obvia pilo,  
180 fulmineumque rotas trepidis in millibus ensem.  
181 Doctus es aeratam cunctis opponere peltam  
182 ictibus, adversa concurrere doctior hasta,  
183 et circumfusus vallare obsessa catervis  
184 oppida, et abruptas scalis conscendere turres.  
185 Quin de venturis aliquid praedicere rebus,  
186 et secreta soles longe praenosceres fata,  
187 an cladem, an laetam portendant Numina palmam.  
188 Vera cano, magna res est experta ruina.  
189 Vel tunc in primis, olim cum Sforcius heros,  
190 infregit Venetas, memorando Marte phalanges,  
191 pacis suasor eras et decertare vetabas ;  
192 sed cum suaderes, avidum contendere vulgus,  
193 obstitit, et dignas spreto dedit omine poenas.  
194 Sunt juvenum vires et fervens sanguine pectus,  
195 consilio melius pollet maturior aetas ;  
196 sed sapere et praestans in eodem corpore robur  
197 perpauca natura dedit ; cum Graia juvenus  
198 cingeret in decimo vincendum Pergamon anno,  
199 viribus Oenides cautum superabat Ulixen,  
200 ingenio Oeniden cautus superabat Ulixes.  
201 Nestore major erat sumptis Telamonius armis,  
202 at minus argutos gestabat pectore sensus.  
203 Te penes hoc geminum munus natura locavit.  
204 Est animus solers, est commoda dextera pugnae ;  
205 Es (quod in Atrida magnus laudavit Homerus)  
206 dux bello sapiens, miles validissimus armis.  
207 Ergo ego dum tacitus tecum tua sacra retracto,  
208 sum dubius, quo te genitum sub sidere dicam,  
209 Marsne ferox, mitisne Venus, facundus an Hermes,  
210 Phoebeumne tuis natalibus arserit astrum ?  
211 Hoc jubet eximiae splendor me credere formae,  
212 hoc solers animi vigor, et doctrina, sagacis,  
213 hoc lepor, hoc studium Mavortis et ignea virtus.  
214 Scorpion incurva minitantem proelia cauda,  
215 te roseus nascente dies, rapidumve leonem,  
216 clara vel Astraeae possedit Virginis ora ;  
217 justitiam quod amas, duris quod es acer in armis.  
218 Jupiter ipse tuos per cetera vindicat ortus.  
219 Conferat his fortes dominatrix Roma Camillos,

220 Carthago Hannibalem, Graiae Philopoemena gentes ;  
 221 procedat Pyrrhus, vafer huc procedat Amilcar,  
 222 prodeat exuvias gestans Marcellus opimas,  
 223 et quibus auratus dedit inclyta nomina torquis ;  
 224 nec pacis rebus poterunt nec fortibus armis  
 225 exsuperare tuas quovis sub iudice laudes.  
 226 Mantua bellipotens te Principe laeta triumphet,  
 227 te Gonzaga domus tanto laetetur alumno ;  
 228 ac supplex Parcas et Numina cuncta precetur,  
 229 ut diuturna tuae conservent tempora vitae.  
 230 Nam cum paene puer tantis assuescere rebus  
 231 coeperis, Oceanum transibis et aethera fama,  
 232 dum modo fata tuos producant longius annos.  
 233 Haec memorasse sat est, ne sim prolixior aequo,  
 234 neve simul nostris effundam cuncta Camenis.  
 235 Adveniet, nostrae Lachesis si ferrea vitae  
 236 intempestiva non rumpet stamina dextra,  
 237 adveniet tempus, cum te celeberrime quondam  
 238 Marchio, nostra chelys plectro graviore sonabit,  
 239 et repetet prima fortes ab origine pugnas ;  
 240 curve Sigismundus, qui noverat omnia, Caesar,  
 241 Gonzagam tanto stirpem donarit honore.  
 242 Non ego parva licet nostrae munuscula Musae  
 243 nunc genibus commendo tuis ; nec carmina supplex,  
 244 nostra precor laeta digneris sumere fronte ;  
 245 hoc onus, hanc pro me curam geret, inclyte Princeps,  
 246 vir gravis et prudens, quo jure superbit alumno,  
 247 Calcagnina domus ; talem mea causa patronum  
 248 repperit, insignis quem tollit ad aethera virtus.

EPANEMOS, SEU CARMEN DE CERTAMINE VENTORUM.

H\_6 v.1 Ventorum Aeoliis actum certamen in antris  
 2 Pierio novus ardor inest evolvere cantu.  
 3 Huc ades Aonia comitatus Apollo caterva,  
 4 caesarie rutila, fidibusque superbe canoris !  
 5 Huc ades, et praesens juvenilibus annue coeptis,  
 6 huc ades, et pelago titubantem dirige cymbam.  
 7 Nam licet angusto noster natet aequore lembus,  
 8 id tamen immensos undarum attollere montes  
 9 adsolet, et vastis crebro saevire procellis.  
 10 Quondam ingens rapidos inter contentio ventos  
 11 orta fuit, cujus major flandique potestas  
 12 afforet. Extemplo vastum petit Aeolus antrum,  
 13 immanemque specum ; ventos ubi carcere saevo  
 14 luctantes frenat, nodisque tenacibus arcet.  
 15 Atque ibi iudicio litem ut componeret omnem,  
 16 protinus excelsa sublimis in arce resedit ;  
 17 sceptris manuae gerens, Tyrioque superbus in ostro.  
 18 Tum simul haec placido coepit sic pectore fari :  
 19 "Dicite, quandoquidem placuit certare, vicissim.  
 20 A me praecipuum sperabit nemo favorem,  
 21 aequus ero iudex, et rex simul omnibus idem."  
 22 Desierat, jussuque suo prior incipit Eurus,  
 23 qui rutilo spirat Phoebi radiantis ab ortu.  
 24 "O stolidi, quae vos palmae spes cepit inanis,

25 certandi mecum ? Cum sit mihi summa potestas  
 26 aeris et pelagi ; nubes ego flatibus atras  
 27 exigo terrificis, Phoebique cadentis ad axes  
 28 cum licet extremos, et Hiberum pello sub orbem  
 29 quaeque coloratam tutantur nubila gentem  
 30 Indorum, Ganges rapidis quas alluit undis,  
 31 cuncta sub occiduum magnis ago viribus axem.  
 32 Pontum ego concutio, facioque tremiscere montes,  
 33 induroque nives, crustis glacialibus undas  
 34 adstringo, gelidis tellurem velo pruinis.  
 35 Idem ego cum classes ullis sum nactus in undis,  
 36 attollo vastos undarum in sidera montes,  
 37 pulso ferox scopulos et verbero litora fluctu.  
 38 Sed prius occiduis Titan se conderet undis,  
 39 quam penitus valeam nostras expromere vires."  
 40 Dixerat haec Eurus. Post nubilus excipit Auster,  
 41 quem Noton appellant, Libycis qui spirat ab oris,  
 42 tum subito : "Frustra mecum contenditis, inquit,  
 43 Astraiei fratres ; fuis ego nubibus auras  
 44 horridus involvo, et stellas obscuro micantes,  
 45 eripio densis lucemque polumque tenebris,  
 46 obduco roseum picea caligine solem,  
 47 Lunaremque globum. Videne ut mihi nubila frontem  
 48 atra premant, rorentque sinus, pennaque madescant,  
 49 nox tegat horribilem vultum, nimboque gravetur  
 50 vestis, et assidui fluitent e crinibus imbres ?  
 51 His ego cum manibus pendentia nubila pressi,  
 52 tum magnus quatit astra fragor, tum densus ab alto,  
 53 verberat imber humum, tum concava flumina crescunt  
 54 et superans ripas, nullum tenet alveus amnem ;  
 55 perque vias camposque ruunt, ac templa Deorum  
 56 cum domibus silvasque trahunt, pecudesque virosque,  
 57 tum natat omnis ager collectaque nubila caelo,  
 58 foedam hiemem glomerant, fossaeque cavaeque lacunae,  
 59 implentur, latis segetes sternuntur in arvis,  
 60 hibernique ruunt celsis e montibus amnes.  
 61 Spes anni perit agricolis ; gemit excita tellus,  
 62 fluminibusque vias pulsu tremefacta relaxat ;  
 63 ingeminant nimbi, tum stellifer intonat axis ;  
 64 hinc populos novus horror agit, magnoque tumultu  
 65 concussae trepidant mentes ; perterritus orbis  
 66 antiquum rursus Chaos impendere tremiscit.  
 67 Nec minus et totum violentis flatibus aequor  
 68 perturbo ; nam dum lato nigrantibus alis  
 69 incubui pelago ; tum fluctus nubila pulsant,  
 70 merguntur classes, ac turbine litora plangunt,  
 71 pulsu saxa sonant et totum murmurat aequor,  
 72 astra premunt tenebrae, nebulis latet obsitus aer,  
 73 lux perit et densi restinguunt fulgura nimbi,  
 74 accipiunt undae summis in nubibus imbres.  
 75 Idem ego cum Libycis incumbo turbidus oris ;  
 76 (hic propior quoniam et nobis est aptior aether)  
 77 verritur omnis humus, fulvae salit imber arenae,  
 78 in sublime volans, convexaque sidera lambit.  
 79 Quid, quod equos simul atque viros cum fortibus armis,  
 80 atque trabes, rapio vacuas truculentus in auras ?  
 81 Atque diu magnum caeli per inane rotatos,  
 82 ignotis illido furens cum turbine terris ?

83       Scuta virum, pharetras, enses galeasque comantes,  
84       ut paleas stipulasque leves in nubila tollo.  
85       Praeterea nostris est ocior impetus alis  
86       quam jaculi, aut Partho teli erumpentis ab arcu,  
87       quam flammae Jovis, ac fundae Balearis, et astri  
88       quod cadit immenso ductum per inania tractu.  
89       Vim nequeo dignis nostram satis edere verbis,  
90       non ego dicendo, sed sum spectandus agendo."  
91       Dixerat haec Auster, et adhuc quoque plura parabat,  
92       rex vetuit ; Zephyrum tandem succedere jussit,  
93       cui domus Hesperii premitur sub cardine caeli ;  
94       mox ait : "Occiduis jam Sol oriatur ab undis,  
95       obruat Eoo flagrantem gurgite currum,  
96       retro fluat Nilus, cursumque retorqueat Hister,  
97       Aetna vacet flammis, tenebrosus luceat Orcus,  
98       flagrent Sauromatae, nivibus Garamantes abundant,  
99       mundus pervertat seriem, terrisque Britanni  
100       jungantur, vetitis Arctos mergatur in undis,  
101       areat Oceanus, ratibus sit pervia Syrtis,  
102       postquam cum nostris confertur viribus Eurus,  
103       et Notos et Boreas. Quis enim certaminis hujus  
104       non mihi det palmam ? Maris est mihi summa facultas,  
105       vexo rates, magnos tollo super aethera fluctus,  
106       est mihi jus densas glomerare per aera nubes,  
107       atque satis largos caelo demittere nimbos.  
108       Rebus ego primos ortus, vitamque ministro,  
109       hinc etiam vere Zephyrus cognomine dicor.  
110       Per me prata virent, croceis ego floribus agros  
111       exorno, latos ego vestio gramine campos,  
112       arboribus frondes et terris largior herbas.  
113       Nam cum stillantes felici nectare pennas  
114       concutio, rosei primo sub tempore veris ;  
115       brumalemque simul propello flatibus annum ;  
116       solvitur omnis humus, lati revirescere campi  
117       incipiunt, pictis arrident floribus horti,  
118       palmes agit gemmas, omnis tum pullulat arbos,  
119       parturit omnis ager, tum pampinus induit ulmos,  
120       omnes laetantur campi, nivibusque fugatis,  
121       arboribus frondes redeunt et gramina pratis.  
122       Lascivit pictis redimitus floribus annus,  
123       pallentes violae tum mollia prata venustant,  
124       purpureaeque rosae, nec non et candida rubris,  
125       Lilia cum calthis, et flos redolentis anethi,  
126       narcissique simul, ferrugineique hyacinthi,  
127       Hyblaeumque thymum, casiaequae crocique rubentes,  
128       nec non cum niveis, vaccinia nigra ligustris,  
129       omnia tum florent, passim tum flumina circum,  
130       mellifer electis exercitus obstrepit herbis,  
131       atque levi somnos hortatur inire susurro.  
132       Tum quocumque tuos coneris flectere gressus,  
133       arrident pratis virides in mollibus herbae,  
134       arrident croceis halantes floribus horti,  
135       arrident silvae, tellus tum germinat omnis,  
136       tum formosus ager, mollesque sub arbore somni.  
137       Tum volucres dulci permulcent aethera cantu,  
138       tum canor in fluviis auditur cygneus altis,  
139       tum gelidi fontes leni tum murmure serpunt  
140       vallibus ex imis per mollia gramina rivi.

141 Sic ego florigeris vernalem flatibus annum  
 142 exorno, et glebas fecundo rore marito.  
 143 Ergo mihi meriti palmae debentur honores."  
 144 Haec Zephyrus. Cuncti vario sermone fremebant  
 145 cum Boreas tales effudit pectore voces,  
 146 cui domus est gelido septem subjecta trioni :  
 147 "Et mihi sunt vires, et me pater edidit Astreus.  
 148 Et nobis nostrum sit jus, precor, edere robur.  
 149 Quis vos, o caeci, quis agit temerarius error ?  
 150 Ne cupidis tantam votis exposcite palmam,  
 151 quae mihi debetur, vires cognoscite vestras,  
 152 quas alii nubes glomerant ; ego flatibus illas  
 153 propulso medium caeli vergentis ad axem.  
 154 Vis atrox, iraeque truces, animique minaces,  
 155 et mixta saevus rabie furor, impetus ingens,  
 156 sunt mihi pro telis ; turbo est mihi fulminis instar.  
 157 Liber ab hoc nobis quoties datur exitus antro,  
 158 imbriferis numquam fuscatur nubibus aether,  
 159 diffugiunt caelo nimbi, sit lucidus orbis.  
 160 At cum marmoreas pelagi convertor ad undas,  
 161 in morem quamquam stagni, placidaeque paludis,  
 162 prostratum sileat, undisque tacentibus aequor ;  
 163 continuo vasti surgunt in nubila fluctus,  
 164 et totum subito miscerier incipit aequor,  
 165 illisaeque sonant scopulorum cautibus undae.  
 166 Quantus sidereos Atlas qui sustinet, axes,  
 167 Parnasusque biceps, et Eryx, et Taurus et Othrys,  
 168 quantus apex Aetnae, aut nubes superantis Olympi,  
 169 quantus Athos ; tanti tolluntur in aethera fluctus,  
 170 monstriferosque sinus agitant ; undaeque tumentes  
 171 horrendum per saxa fremunt, ac litora pulsu  
 172 tota sonant, crebrisque gemunt agitata procellis.  
 173 Tum supereffusus, pulsata cacumina, gurges  
 174 obruit, et pressi latitant sub gurgite montes,  
 175 ac totum spumis servet candentibus aequor.  
 176 Pulsu reclamant scopuli ; simul aestuat imum  
 177 vorticibus fundum, et nigrantem ejectat arenam.  
 178 Tum quascumque mari puppes deprendit in alto  
 179 turbo rapax, illas aut fluctibus obruit ipsis,  
 180 aut illidit humo, aut scopulis infigit acutis,  
 181 denique tam vasti surgunt in nubila fluctus,  
 182 ut quoties summas conscendit pinus in undas,  
 183 contingant celsi nubes carchesia mali ;  
 184 at quoties rursus subsidit hiantibus undis,  
 185 tellurem fundo, atque imas contingat arenas.  
 186 Sic superinfusis perit omnis fluctibus alnus,  
 187 apparent laceratae tantum vestigia puppis,  
 188 antennae, fractique natant in gurgite remi,  
 189 et saturaturi phocarum corpora nautae.  
 190 Saevit hiems, fundo pelagi furit aestus in imo,  
 191 saepius Adriacas Aegaeum transit in undas,  
 192 transsilit Ionium, gurges Tyrrhenus, in aequor,  
 193 tum maris immensi fugit omnis territa proles  
 194 ac tanto rerum stupet exagitata tumultu,  
 195 diffugiunt phocae, et pelago conduntur in imo,  
 196 illis undarum somnos fragor excutit ingens.  
 197 Non sese assuetas tollunt delphines in auras.  
 198 Ipsam etiam Divum terret salis ira catervam.

199 Non meminit varias Proteus mutare figuras,  
 200 innexis nec monstra premit scopulosa lacertis,  
 201 maximus Aegaeon, centum cui brachia dicunt.  
 202 Tum Nereus fundum refugit tremebundus in imum,  
 203 cumque suo Phorcyn coetu conterritus haeret,  
 204 et stupet attonitus trepida cum matre Palaemon,  
 205 nec non Euboicus liquidarum cultor aquarum.  
 206 Oblitus conchae Triton pavet ; occulit omnis  
 207 Nereidum coetus gremio se matris aquoso,  
 208 eversasque domos et fracta sedilia luget.  
 209 Ipsam etiam Tethyn vasti furor aequoris urget,  
 210 Oceanique senis mentem perturbat ; et ipse,  
 211 cui totae parent cum monstris omnibus undae,  
 212 cui Divum pelagi chorus, imperiumque tridentis,  
 213 non torvos summo vultus efferre profundo,  
 214 non audet celeri volitare per aequora curru,  
 215 undarum tanto miscentur cuncta tumultu.  
 216 Quae mihi sint pelago vires, audistis, in alto,  
 217 at nunc quis terras perturbem flatibus ipsas,  
 218 eloquar, et magnum quo pulsem turbine caelum.  
 219 Principio totas ferus ab radicibus imis  
 220 evello segetes, summumque per aethera verro,  
 221 et longos miseris cultoribus infero luctus.  
 222 Nec potis est mites tutari pampinus uvas.  
 223 Hinc nivibus terram, commixta grandine, pulso  
 224 efferus, et passim canis exuro pruinis.  
 225 Sunt mihi concretae glaciali frigore pennae,  
 226 barba mihi glacie, nivibus riget horrida vestis,  
 227 caesariem mihi grando tegit, frontemque pruinae.  
 228 Possum ego pulveream glomerare per aera nubem,  
 229 possum convulsas per inania volvere silvas,  
 230 possum concussas prosternere flatibus arces.  
 231 Saepius et ferrum, seu magnae fragmina rupis  
 232 verro per aerias tantis cum flatibus auras,  
 233 ut mox dum mediis pendent sub nubibus, altos  
 234 concipiant ignes, incandescantque volando.  
 235 Cum vero autumnus hiemi concessit aquosae,  
 236 concutio pennas, quarum jactatibus omnes  
 237 continuo terrae nivibusque geluque rigescunt.  
 238 Horrendum saliens crepitat per culmina grando,  
 239 canescunt montes, pereunt armenta gregesque,  
 240 et circumfusus horrent vallata pruinis.  
 241 Non apro dentes, non crura fugacia cervo,  
 242 non ursis densi prosunt in tergore villi.  
 243 Adstringunt subitae, currentia flumina, crustae,  
 244 concreta glacie cursus frenantur aquarum.  
 245 Et jam ferratos plaustrorum sustinet orbis,  
 246 qui ratibus longis fuerat prius hospitus humor.  
 247 Dissilit aes glacie, riget omnis frigore tellus.  
 248 Cum vero densis horrendo flamine silvis,  
 249 incubui, nullae remanent super arbore frondes,  
 250 tum silvis cadit omnis honos ; it stridor in auras,  
 251 tum nemus inclinat terramque cacumine tangit.  
 252 Fit sonus, et magno miscentur murmure silvae.  
 253 Sternitur omnis humi vulsis radicibus arbor.  
 254 Procumbunt fractae, celsis cum quercubus, orni,  
 255 aesculeaeque trabes, et commoda fraxinus hastis,  
 256 et bicolor myrtus, Paphiae gratissima Divae.

257 Procumbunt piceae, procumbit fagus et ilex,  
 258 et tiliaequae leves, et densae frondibus ulmi,  
 259 et coryli, et gratae nimium tibi, Delphice, lauri ;  
 260 et fluctus, abies pertentatura, marinos.  
 261 Nec non flumineae salices, et pallida buxus,  
 262 et steriles platani ; procumbit populus ingens,  
 263 Herculeis dilecta comis ; fragilesque myricae,  
 264 procumbunt oleae, simul aptae navibus alni,  
 265 procumbunt aceres, et cum cedris cyparissi.  
 266 Sternuntur palmae, cornusque perutilis hastis,  
 267 navigiisque bonae pinus, taxique nocentes.  
 268 Omnes procumbunt silvae, fragor aethera pulsat.  
 269 Ergo ferae, silvis quaecumque vagantur opacis,  
 270 diffugiunt passim, et caecis conduntur in antris.  
 271 Turbo ferit montes convulsaque saxa resultant,  
 272 fragmina crebra ruunt laterum, obstantesque ruendo  
 273 in terram passim tanto cum turbine silvas  
 274 provolvunt, quanto muralis pondere saxi  
 275 moenia pulsa cadunt, pulsu tremit ultima tellus.  
 276 Quid memorem quantis etiam terroribus olim  
 277 armisonae doctam concussi Pallados urbem,  
 278 cum trepidam fulvis complexus Erechthida pennis  
 279 corripui, et raptam magni per inania caeli  
 280 protinus Odrysius abduxi victor ad oras ?  
 281 Idem ego rimosae convexa foramina terrae,  
 282 cum subii, et vacuis submisi terga cavernis,  
 283 horror agit populos, tum maximus intremis orbis,  
 284 hiscit humus, celsaeque ruunt cum turribus urbes,  
 285 subsidunt montes, pavet implacabilis Orcus,  
 286 umbrarum trepidat Stygia cum conjuge rector,  
 287 immissusque dies magno telluris hiatu,  
 288 attonitos gelida terret formidine manes.  
 289 Idem ego vos caelo quoties sum nactus in alto,  
 290 horronis totum miscentes flatibus orbem,  
 291 grandineoque meas excussi turbine pennas,  
 292 ipsi estis testes, quanto molimine lucter ;  
 293 concursu nostro medius nam personat aether,  
 294 elisi excussis prorumpunt nubibus ignes,  
 295 fulgura crebra micant, tremit ingens turbine tellus,  
 296 tum novus immensis perculsum motibus orbem  
 297 terror habet ; fugere ferae, tum flamma per auras,  
 298 exsiliens, silvas aut celsa cacumina sternit.  
 299 Tum caeli convexa tremunt, boat arduus aether,  
 300 immensum, motisque labant compagibus axes,  
 301 fit fragor, et magno tonitru caelum omne remugit.  
 302 Quodque magis mirum est, ipsi mihi concutit ingens,  
 303 ossa tremor, tantos mundi dum specto tumultus.  
 304 Sed quid ego vestras longis ambagibus aures  
 305 obtundo ? Longum est mihi totas pandere vires,  
 306 et Titan prono jam vergit in aequora plaustro.  
 307 Sed veluti nostrae monstrant praesagia mentis,  
 308 victor ero. Tu rex, tua quae sit opinio profer."   
 309 Dixerat, et magno fremuerunt antra tumultu,  
 310 excussi resonant nodi, strepituque tonat mons.  
 311 Quisque sibi ingentem magno cum murmure palmam,  
 312 flagitat, et vastis acuit clamoribus iras.  
 313 Ni centum rigido nexis adamante catenis,  
 314 pennas atque manus vincti post terga fuissent,

315       lis foret in veros pugnae conversa tumultus.  
316       Haec ubi prospexit, solio sic infit ab alto  
317       arduus Hippotades, et talibus increpat iras :  
318       "Quis furor o caeci ? Quae mentem insania versat ?  
319       Conspectu in nostro, qui vos rego, pro scelus ingens !  
320       Pro furor ! Haec agitis ? Tantosque ciere tumultus  
321       audetis ? Nec vos nostri reverentia tangit ?  
322       Ni sinitis." Dederat tales e pectore voces  
323       Aeolus, ast illis pavidos tremor occupat artus,  
324       attonitique silent, clamosaque murmura pressant,  
325       nil ausi mutire palam, vultuque remisso,  
326       obliquo regem, ac titubanti lumine spectant.  
327       Non tamen exuta penitus feritate quierunt,  
328       ingenitam sibi vis naturae tradidit iram.  
329       Non secus ac claustro meditantes proelia tigres,  
330       cum subito iratus pulsuque minisque magister  
331       aggreditur, cessant, inceptaque proelia linquat,  
332       Non tamen exuta prorsus feritate quiescunt,  
333       concussaeque pavent indignanturque ; pavere  
334       indociles, metus hinc urget, furor insitus illinc.  
335       Postquam pacatas vidit rex Aeolus iras,  
336       dat Scythico palmam Boreae, simul imperat ipsis  
337       ut nullos ausint post inceptare tumultus.  
338       Tum simul et nodos luctantibus artat aenos,  
339       obfirmatque seras claustrorum et vincula stringit.  
340       Haec ubi perfecit, vasto progressus ab antro  
341       ardua tecta petit Vulcani opus ignipotentis.  
342       Exsultat victor Boreas, laudatque tyranni  
343       judicium, et laeto testatur gaudia vultu.  
344       At contra amissos inglorius Eurus honores,  
345       conqueritur, Zephyrusque simul, simul humidus Auster,  
346       irrita frustratis fundit suspiria votis.

\*\*\*\*\*